M. ANTONIJ BONCIARIJ OPUSCULA DECEM VARIJ ARGUMENTI...

Marco Antonio Bonciari,
Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

M. Antonij

BONCIARII

OPVSCVLA DECEM VARII ARGVMENTI.

AD ILLVSTRISSIMVM AC REVERENDISS. COMITEM

LVDOVICVM SAREGVM Peruſiæ Vmbriæq; Gubernatorem.



PERVSIÆ,
Apud Accademicos Auguſtos. CIↃ IↃ CVII

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS. COMITI

LVDOVICO SAREGO
Peruſiæ Vmbriæq; Gubernatori.

M. Antonius Bonciarius. S.D.

PROPE quadriennium eſt, cum illam ſcripſi, atque in publicũ eduxi tumultuariam cohortem Epiſtolarũ: hoc conſilio ego quidem, vt tãtum ſagacius explorarent, non etiam prouocarẽt, atque vrgerent palam iudicia hominum elegantium, a quibus in militia litteraria ordines ducuntur. Sed, quænamcunq; huius temerita-

tis & cõtumaciæ, fuerit cauſa, ſpretum eſt Parentis mandatum, & iam non vno in campo, neque vnis cum hoſtibus pugnatũ eſſe audio a meis. non dico quam æquo marte, abſens, inſcius, Pater. certe amici perſuadere mihi conantur, rem vbique, atque cum omnibus geſtam nobis eſſe feliciter. Sed cum ijdem me cohortentur, ad nouas copias identidem ſcribendas, educendaſque tanquam in aciem: & ſi Non ſubſidio, inquiũt, ad pugnam, ſed conſortio ad palmã: facere tamen non poſſum quin credam, meos in aliquod incidiſſe diſcrimen. his nimirũ quęrere amicos auxilia laborantibus, & per ſpeciem triumphi, velle abducere nouos militum delectus. Quid quod aucupor ſagax exterorum ſermones, aut familiarium furtiua colloquia, & rumuſculos interdum audio de meis non bonos?

Fecit igitur paterna cura & pietas, vt rogandus non diu fuerim: ac ſtatim emiſi vnam Centuriam Epiſtola-

ſtolarum,ſed breuium, inermiũ, recentium:quales videlicet tunc mihi ad manum fuerunt. Eo confeſtim neceſſe habui poſtmittere agmen Opuſculorum, ideſt vnam equitum Decuriam;ſtipatam armis,& præliandi non inſuetam, vt pedeſtribus copijs opem ferrẽt, atque ab hoſtiũ tuerentur incurſu. Acie in hunc ferme ordinem deſcripta, quærendus mihi reſtabat, non qui hos tirones in campum deduceret, vel ad prælium inſtrueret:hoc enim Centurionis officium erat, & huius partes ego mihi deſumpſeram; certaturus idem pro meis,& ante meos:verum nobis Dictator aliquis,atque Imperator deerat, cuius optimis auſpicijs rem gerere poſſemus. Atque hunc ſi ad noſtrum arbitrium ex multis Principum millibus optare nobis licuiſſet, quem conferre tecũ poſſemus, Sarege Comes Illuſtriſſime ac Prætor Reuerendiſsime, habituri non fuimus. Nam præter tuã fortitudinem animi ſingularem,

prętter egregiam nobilium diſciplinarum cohortem, præter ſtudiũ erga me meaque omnia non vulgare, præter tandem (quod ego pluris facio) amorem plane fraternum cum ſimillimo tui Comitolo, Antiſtite ac Domino meo: Euaginati Enſes, priſcum pariter ac nobile Comitum Saregorum inſigne, quod mei equites vexillum præferunt in aciem, ita hoſtem exanimabũt, vt confidã plane, aut nullum mihi paratum fore certamen, aut dumtaxat paratũ. Timor rei gerendæ telum hoſtibus excutiet de manibus, nobiſque incruentam victoriam, ac nõ propterea triumphum minus honeſtum, & minus inclytum donabit. eum ego non meæ aut militum virtuti, ſed tantum Imperatoris fortunæ, auctoritati, boniſq; auſpicijs referens acceptum; magnos Cælites precari nunquam deſinam, vt tibi per quẽ alij triumphant; par tanto animo facultas, & par meritis contingat imperium. Vale. Ex Collegio Auguſto S. Bernardi.

Digitized by Google

LECTORI S.

AMicorum quotidianis flagitationibus ac prope conuiciјs defeſſus, Lector candide, faciendum putaui, vt ſpecimen hoc darem, ſine dubio exiguũ ac tenue, ſed tamen triplex triũ grandium voluminum, quæ iam pridem habeo in manibus. primo titulum indere cogito, *Diſquiſitiones Per Epiſtolam*; ſecundo *Analecta ſiue Varias Lectiones*; tertio *Hexameronem ſiue Illuſtria Exempla*, per dialogum expoſita, & in decadas tributa. Creuere ſingula (ope Numinum) in iuſtas moles, & ſic affecta iam ſunt, vt pro confectis poſſe haberi videantur. Illa igitur dum matureſcunt, quæ in cenam ſi minus lautam atque opiparam, certe vberem parantur; iſta erunt comeſſationis aut ientaculi loco. fortaſſe non inſuauia propter hoc ipſum, quia cupientibus & inſtãibus exhibentur. Sic famem adultam, interius furentem atque crepantem minas, cibarius ac ruſticus panis facile mitigat, imo etiã cum voluptate demulcet. Tu Valeto.

Digitized by Google

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISS. COMITEM LVDOVICVM SAREGVM GVBERNATOREM.

Io. Baptiſta Marcheſius.

EST ataui s Inſigne tuis Regina volucrũ,
Cui dicunt Iouium parcere fulmẽ aui.
Accedunt ſeni quos. Mauors tradidit Enſes,
Accedunt priſcæ nobilitatis ope
Anteit iſta tamen generoſum pectus, & acre
Omnibus excultum dotibus ingenium.
In quibus illa micat raro fulgore, quod Vrbẽ
Non feciſſe bonam, ſed reperiſſe velis.

AD EVNDEM.

M. Antonius Saluucius Peruſinus.

CVr heu tot gladij, cur ſic feriẽdo parati,
Nobile diſtinguunt ſtemma Sarege tuũ?
Nempe puto, vt facies deterreat iſta nocẽtes,
Nec temere in facinus lingua manuſue ruant.
Eſto: ſed inſonti quæ prẽmia reddis? Id ipsũ:
Nam mulctare malos, eſt dare dona bonis.

M. Antonij

M. ANTONII BONCIARII

AD PETRVM SENSIVM CANONICVM, & I.V.C.

Super exceſſu propinquorum fortiter ferendo, Diſquiſitio Prima per Epiſtolam.

HEM quo modo nihil perpetuo proſperum, nihil diu lætum patitur Deus ire mortalibus! Commodum redieram a peregrinatione Lauretana, in qua dies circiter quindecim tanta cum voluptate conſumpſeram, vt nihil vnquam ſenſerim iucūdius, ſiue animum ſpecto, ſiue animam; cum ecce tibi ad fores ipſas ciuitatis obuium habui familiarem amicum, negotij cauſa properantem. a quo in trāſcurſu ſalutatus, cum quæſiſſem, an omnia ſalua: Omnia inquit, præter communem amicum Senſium, quem amiſimus. transfodit hoc dicto

Digitized by Google

pectus,& ita mentem turbauit, vt nec quærere aliud meminerim, nec effari liceret, ſi meminiſſem. Digreſſus ab illo ſaucius, ac velut iaculo traiectus, cum in via grauius ingemiſcerem, & Iacobi nomen inhibita ſæpius lingua non premeret, aliquando etiam proferret aperte: mirari frater & comites mei, quod hunc nominarem. illi namq; de Senſio iuniore, non de altero natu maiore acceperant, & conſtanter omnes ita affirmabant. Ego quamquam de Iacobo dictum interpretabar,imo Iacobũ ipſum a nũcio expreſſum videbar audiſſe:tamen fecit cõtẽtio meorum,non vt illis crederẽ magis quã mihi, ſed certe vt coeperim dubitare,neſcirẽq; ad vtrum Senſium meas querelas & luctum verterem. Et ſi autem ad ſolatium meum nihil intererat, vtrum eſſem deſideraturus, cum æqualiter vtrumq; diligerem: tamen neſcio quomodo viuere ambos putabam, donec incertum habui,qui periſſet. faciebat hæc ambiguitas,vt conarer fallere dolorem meum, mihiq; perſuadere, quoniam vter deceſſiſſet ignorabam,fortaſſe neutrum deceſſiſſe. Subibat interdum animo contraria cogitatio, & quodã modo carere ambobus mihi videbar, quamdiu neſcirẽ illum,qui ſupereſſet. Quocirca volebam nolebam venire aliquem nobis obuium,qui certiora portaret. cupido ingens fuit laxandi animum expectatione ſuſpẽſum: ſed formido acrior ingruebat, ne quid audirem perpeſſu grauius, quod ęger animus

ferre

ferre non poſſet, & præſtaret dubium eſſe, quam certum.

Putaret aliquis, ancipitem hanc curã quaſi præuium certamen habuiſſe aliquid momenti ad præparandum animum excipiẽdo, quod impendebat lethali ac certo vulneri. ſed plane non habuit, imo habuit in contrarium. quia primus nũcius altam animo plagam inflixerat, quam mox obiecta dubitatio non ſanauit neq; alleuauit; ſed potius ambigendo effecit, vt nouo vulneri locus pateret, & ſecũdus nuncius IACOBVM mox nominãs, ſecundam plagam imponeret. Mouebat autẽ me, quod non modo veterem alumnum, & amicum intimum, ſed etiam ſtudiorum meorum antea ſocium, deinde iudicem cenſoréq; amiſeram, pariter candidum, pariter eruditũ. vt difficile iudicari poſſet, vtrum mihi docte cenſendo, an libere monendo eſſet vtilior. ſub hæc animo recurrebat orbitas perentum, qui paucis ante annis tres maximæ indolis & ingenij filios alium alibi amiſiſſent, Alphonsũ Romæ grauibus honeſtiſq; implicatum negotijs, Io. Paulum in Pannonia, cum pro religione aduerſus barbaros militaret, hunc tertium Meſſanæ in Sicilia, quo pridem euocatus magno ſtipendio, maiore gloria ius ciuile Ordinarium matutinũ in primo loco profitebatur. Augebat mærorem meum, quod ſcirem, patrem ferme nonagenarium, ſed robuſtum tamen atq; valentem, matrem vero valetudine admodum infirma, & propemodum

oculis captam, in vno pignore omnem ſpem atq; ſolatium habuiſſe repoſitum. quo quidē adeo non fruuntur, vt caput miſeriarum effectum ſit, quod miſerias leuare debebat: & felices futuri parentes videbantur, ſi tale ſolatiū non habuiſſent. Vah cogitationes inanes noſtras, & ſpem fallacem! Putabam magnū fortunę beneficium Longęuitatem, quam precibus votiſq; omnibus mortales expetunt, ſed falſus ſum: iniuria eſt, nō beneficium pleriſq; vſus vitæ diuturnior. certe parētibus tuis ita fuit, Petre Senſi: quos ad hoc æui natura iam laſſa protraxit, vt plus vna morte conficeret.

Hæc atque alia horū ſimilia nō pauca exul cerabant animum meum, cum laxādi doloris gratia hęc ad te ſcribere ſum ingreſſus. cum vero paullo poſt mentis radius valentior omnem nubem mœroris partim in auras extenuaſſet, partim in lacrymas reſoluiſſet: agnoui ſtatim in clara luce errorem meum, & huius iniquitatem expoſtulationis ſponte damnaui. Sic enim melior Genius obiurgare me videbatur. Quid tibi hodie tam nouum & rarū accidit, quamobrem tuam & aliorum vicem ſic querare? In ipſo, inquies, ætatis ac rerum flore abſens a patria, nobis inopinātibus, ereptus eſt alumnus meus, filius meorum. primū quis hoc fecit? haud dubie Princeps, Pater, Rector imo & Effector omniū *Deus*. Cuius voluntati acquieſcere tam neceſſarium eſt, quam impium foret repugnare. Faciamus tamē, Sēſi, loquentes cum Deo, aut nosipſos, aut parē-

tes tuos. quid dicemus aut omnino dicere poſſumus aduerſus cœleſte decretum? dicant fortaſſe tui: Ah Domine, cur hoc nobis eripuiſti leuamen atq; ſubſidium grauiſſimæ ſenectutis? Reſpondeat Deus: Ego vos mea ſpōte procreaui, mea benignitate nutriui, mea indulgentia ad hanc ætatem produxi; de vobis etiam ſuſtentandis atq; alleuandis cogitare meum eſt. Rex quiſpiam aut Imperator iniuriam putet, ſi quis hominum imperio ſubiacentium, improbare conſilium illius audeat de regno adminiſtrãdo, & de prę ſidibus ciuitatum & arcium vel admouendis vel ſubmouendis: & vos putatis impune eſſe laturos, quod Regem regum & Dominum vniuerſorũ in ſuo iure interpellatis? vt etiã vitæ neciſq; arbitrium vſurpare nō vereamini? Agite, quis iſtuc vobis vnquam ſpopondit, tale ſubſidiũ perpetuo vtriq; menſurum? proferte, ſi quod habetis chirographum diuina ſignatum manu, quo vobis de iſta poſſeſſione cautum fuerit. Nam quod vobis non opinantibus ſit raptus, veſtra hæc culpa eſt, non Dei. quoties enim per aliorum mortes admoniti eſtis, vos quoq; filium genuiſſe mortalem? an forte neſciebatis nullum moriendi diſcrimen fieri, neq; ſaltem excitabant hodieq; non excitant memoriam veſtram, quæ quotidie

Miſta ſenum ac iuuenum dẽſentur funera?
Impoſitiq; rogis iuuenes ante ora parentũ?

Illud potius cogitate, quod eſt æquius, perliberaliter vobiſcum diuinam egiſſe clementiam

tiam

tiam, quę de tot numero filiorum maiorem partem vobis relinquit ſoſpitem & incolumem.ferendum erat.quid dico ferēdum? imo etiam agendæ Superis gratię, ſi æquam partē vobis concederent, ęquam ſibi aſſumerent: nunc veſtra eſt cōdicio melior. filia ſuperſtes honeſtiſſima femina,& in opulentam familiā collocata, vobis nepotum neptiumq; magnū numerum dedit, & nurus datura eſt non minorē. in cuiusFilio primogenito renatus mihi uideris,Franciſce Senſi, qui tuum infanti nomen imponere voluiſti:& ſpero fore, vt ex eadem Ioannes Pauli, Alphonſi,Iacobi, vobis viuentibus,renaſcantur. Videtis pro vno tantum adminiculo ſubducto,quantum Deus ſufficiat atq; ſuffulciat munimentorum.

Supereſt illa querela,quod abſens a patria, atq;a penatibus ſuis vitam finierit. Id quod dicite mihi quęſo cuia interfuit?veſtrà ne an illius?Certe hoc illum iuuare quicquam non potuit:quippe cui compertū nobis eſt, quicquid ad valetudinem corporis pertinebat,nihil vnquam defuiſſe, & quę ad expiationem animæ requiruntur, abunde omnia ſuppeditaſſe.vtrumq; nobis teſtificantur, præter domeſticos pueros, & ſororis filium Ludouicū, qui cum illo migrauerat, viri longe clariſſimi,religioſiſſimi & magna cum illo familiaritate coniuncti,Frāciſcus Vbaldus,& Patres Ieſuitæ,qui morbo eius,& curationi,non ſolū continenter interfuerunt, ſed etiam pie atq; benigniter præfuerunt. ex quibus illud mira-

Digitized by Google

culo proximum audiuimus, tanta iuuenem pietate atq; conſtantia diem ſuum obijſſe, & ad Dominum.vt confidimus euolaſſe; vt circumſtantes plane omnes non ad misericordiam,ſed ad inuidiam prouocaret. quod ego tametſi quiſquam non diceret, tamen crediturus fui mea ſponte.ſciebam enim inde vſq; ab annis puerilibus, quãille ſemper religioſe,honeſte,innocẽter vixiſſet. nec illud ignorabam, quod ſanctiſſimi & doctiſsimi Patres memoriæ prodiderunt, ab inſtituto viuendi pendere caſum moriendi, & eum ſcilicet bene mori,qui bene vixerit. Ergo illi nihil obfuit vos abeſſe,cum moreretur:ſed obeſſe aliquid potuit,ſi adeſſetis. Cur enim e conſpectu morientium parentes, vxorem,liberos, & cariſsima quæq; ſubmouemus? Non temere eſt,mihi credite. Afficit animum præſentia ſuorum, & conſtantiæ propoſitum, ſi minus infringit,ſaltem debilitat, neq; nos patitur, quæ tempus illud requirit,intento atq; ſecuro animo cogitare. Ceterum vel nulla eſt viuentibus patria,vel vna omnibus.bene Socrates non ſe *Atticum*, non Græcum,non Europæum,ſed mundanum eſſe dicebat. nec male Anaxagoras de ſe ipſo extra natale ſolum morituro,A mundo,inquit,ad inferos, vndecunq; tantumdem eſt uiæ. id ipſum cenſeamus licet de ituris ad Deum.quo tamen breuem facilemq; traiectum,non ſpatia locorũ, ſed virtus efficit gradiẽtium: & illis patet ad cœlum aditus longe facillimus atq; expeditiſsi-

viſſimus,qui dum viuerent, maxime difficilè atq; impeditam viam ambularunt.

*A*ge dicetis,non interfuerit Iacobi, vnde decederet: certe noſtra plurimum interfuiſſet, quibus pro ingenti ſolatio foret,ſi miniſtrare, ſi aſſidere, ſi nauare aliquid potuiſſemus morienti. Primum hoc vos optare non oportuit,ſi ei noceret,cui facere ſtudebatis. potiorem namq; illius,quam veſtram debuiſtis habere rationem. *S*ed videte, quam non inique vobiſcum agam conſolando: ſi ſaltem vobis ipſis prodeſſe potuit pręſentia morientis,concedo vt in lacrymas diffluatis, & me ſocium adiungo dolori.Verum mihi credite, non eſt ita: vbicunq; veſter mortem obijſſet, caperetis ex loco dolendi occaſionem. *S*ic enim natura comparatum eſt, vt illud peſſimum videatur,quod habetur; illud autem futurum fuiſſe tolerabilius, quo caruerunt. *M*oriatur aliquis in ſua patria, in ſuo lectulo, inter ſuos.clamabunt, ſe magis miſeros fuiſſe,quia languentem ipſi viderunt, & ipſi ſuis manibus contrectarunt;feliciores futuri, ſi abfuiſſent.durum illud,& crudele ſpectaculum vocabunt:augere dolorem oculos,qui ea quæ ceteri audiunt, intueri cogantur, nec auertere a miſerijs cogitationem ſinant. Contra fac eſſe mortuum extra patriam: nihilominus querentur,& id dolebunt,quod vos doletis: Vtinam ego præſens fuiſſem,vtinam aliquid adiutaſſem,vtinam ſaltem eſſet

Affari extremũ miſera data copia matri.

Dicam

Dicam amplius contra hominum vel inconſtantiam vel inſolentiam. Rapiatur aliquis in infantia miſerum dicunt fuiſſe, quia mortis acerbitatem priùs ſenſerit, quam vitæ dulcedinem guſtare poſſet. Maturus idem & ſenex cadat. miſerum eſſe volunt nihilominus, quia tum demum mori cogatur, cum viuere didicit, & docere alios poteſt. Iuuenem, florentemq; mors metat. hunc vero clamant eſſe miſerrimum, qui ſpem ſefellerit propinquæ frugis, & conſpectam vitæ pulchritudinem triſtis amiſerit, minus ægre cariturus, ſi non vidiſſet. Quænam igitur eſt, o mortales, iudicio veſtro ætas aut hora moriendi? & quando tandem reſipiſcetis, & curare iſta patiemini eum, qui creauit? Quod ſi pergitis ineptire, ac putare veſtrum eſſe iudicium, quod vnius eſt Dei;

Quid cauſæ eſt, ſummus quin vobis Iuppiter ambas
Iratus buccas inflet, neq; ſe fore poſthac
Tam facilem dicat, votis vt præbeat aurē?

Quo circa nullam in partem intereſt, neq; vnde accedamus ad vitam, neq; vnde diſcedamus ad mortem. ſed illud refert maxime, imo vnice, quales viuamus, quales moriamur. Cumq; Iacobus noſter ita ſemper vixerit, vt illi ſolent, qui

Credunt quemque diē ſibi diluxiſſe ſupremū:

mortem vero talem obierit, qua lē vita honeſtiſsime atque caſtiſsime acta pollicebatur; nullam hic video dolendi cauſam, gaudendi

multas,

multas. ſed hæ multæ in vnam coëunt innocentiam & vitæ ſanctitatem. qua qui vſi ſunt comite, imo duce in hoc extremo itinere cōficiundo, horum exitus (vt mihi quidem videtur) non deplorandus eſt, ſed inuidendus. Vale.

Io: Petrus Seuerinus M. Ant. Bonciario Magiſtro ſuo. S. P. D.

EN tibi quas debui nimium diu Plinianas Epiſtolas, ab Henrico Stephano caſtigatas. Dono habe, & excuſa non munuſculi leuitatem, quod æſtimatione tua magnum eſt; ſed moram mittendi meam, qui a Calendis Sextilibus ad Idus Martias traxi expectationem tuam. Et ſi quę mea hic culpa? ſcripſi Venetias ad paternum amicum, ſcripſi Romam, ſcripſi Florentiam, ſcripſi alio pene plures epiſtolas, quam idem ad ſuos Plinius. omnes habere, ſtatim inuoluere, ſtatim mittere. ſed ego petebam litteras; illi mihi verba dederunt. Quemadmodum igitur ſi ab alio impulſus, te impellerem, non me tu quidem, ſed impulſorem meum culpares: ita quam fidem in hoc negotio tibi non pręſtiti, debes alijs imputare, qui mihi non præſtiterunt. Quid ſi autem nec illis, nec mihi ſuccenſendum habes? fuit enim tarditas noſtra vtilior, quam fuiſſet celeritas. acceſſit

ceſſit interim bonus gener ad malum ſocerũ, Caſaubonus ad Stephanum. Leges huius Adnotationes non multas, non longas, ſed acutas, ingenioſas, rotundas. miraberis pleraq; ita correcta, vt tu ante correxeras: & vel gaudebis prius ſenſiſſe; vel dolebis non edidiſſe. Diſſentit etiam in nonnullis, quę ſcio te auidius eſſe lecturum, vt ex animo gaudeas, ſi viceris, magis ex animo, ſi victus fueris: nam in illo gloria eſt tua, in hoc vtilitas,& tua & aliorum. Vale.

Commodum iſta deſcripſeram, daturus Franciſco tuo Antriam ad te perferenda; cum orta eſt mihi pertinax altercatio cum generoſis, eiſdemque pereruditis adoleſcentibus: qui ęquabant Plinio in epiſtolis Politianum, Muretum, Lipſium; ego vix M. Tullium, ac ne hunc quidem in omnibus. Facies ergo dupliciter gratum, ſi cum obſcuriorum explanatione locorum, de quibus coram tecum egi, tuam miſeris de Pliniano ſermone ſententiam. nam neq; te quiſquam rationibus magis abundat,& tua nobis etiam ſine ratione auctoritas ſufficit.

M. Antonii

M. ANTONII BONCIARII

AD IO: PETRVM SEVERINVM: *Tunc Auguſti Collegij Contubernalem, nunc Clericum, e Societate IESV.*

Diſquiſitio ſecunda.

In qua ſtylus Plinij Secundi Iunioris cum Tulliano comparatur.

AMO te de Plinianis epiſtolis, ab Henrico Stephano recens editis, doctiſq; adnotationibus illuſtratis, quas heri tuo nomine Franciſcus ad me attulit & donauit. ſi tamen hoc donare eſt, pro vno libello duplicem mercedem, nec eam exiguam poſcere. ſic enim ſcribis, vt exponam primo quid ſentiam de hoc toto ſcribendi genere Pliniano; deinde vt declarem tibi locos aliquot ſubobſcuros, in quibus interpres aut deſerit aut fallit. Hoc, mi Seuerine, non eſt donare, ſed vendere, & quidem carius, quam quanti à te emptum eſſe oportet. ſiquidem tu in mercando pecuniȩ diſpendium feciſti; at ego in iudicando famȩ periculum metuo, & eſt grauior exiſtimationis iactura, quam nũmorum. Legi olim, & nunc etiam ſcio eſſe

de

Digitized by Google

de Plinio Iuniore ſententias non ſolum diuerſas, ſed contrarias hominum eruditorum. alij namq; tantum ei arrogant in epiſtolis conſcribendis, vt audeant Ciceroni, *Varroni*, Cœlio, alijſq; melioris ęui ſcriptoribus anteferre : alij contra tantum derogant, vt non vereantur eum infra Petrarcas, Picos, Politianos, alioſq; minus bonos reijcere auctores. Ego non facile dixerim, ab vtris mea longius recedat opinio: certe nec ſentio cum prioribus, & à poſterioribus multum diſſentio.

Dicam verò breuiter de vtriſque, ac primum de ſecundis; quos quidem arbitror, non iudicio veniſſe in illam ſententiam, ſed potius affectu aliquo eſſe prolapſos, vt primum temere pronunciarent, deinde pertinaciter defenderent tam abſurdam opinionem. Quis enim tantummodo tinctus litteris non intelligat, in verbis & in ſententijs omnes noſtrates à Pliniana grauitate, vrbanitate, lepore tam longe abeſſe, quam à tempore? pudet locos vtrorumque conferre, & tam diſpares concertatores producere in arenam ſunt libri in manibus: tu ſi voles, conferto. inutilem laborem nec ego libenter capio, nec occupatio mea fert: tantum redigo tibi ad memoriam, quod ex me ſæpius audire potuiſti, pluris mihi eſſe quemuis vnum de latinis auctoribus, qui ante mille annos floruerunt, ſpirante adhuc natiua illa elegantia & nitore, quam poſteros plane vniuerſos, qui

ex-

extincta demum latina lingua, latine ſcribere laborarunt. vnus mehercule *L.* Appuleius, quem iſti aiunt non dicere, ſed rudere; vna medius fidius Appulei Oratio, qua obiectum ſibi crimen diluit veneficij (aut ego deſipio) præponderat plane omnibus orationibus, quę ad hanc diem per totos quingentos annos in lucem prodierunt.

Habes plura, quam deſtinaueram aduerſus ęos, qui minimum Plinio tribuunt, nunc ad eos qui nimium, paucis accipe. *Dicunt* Ciceronem, Aſinium, Plancum, Lepidum, ceteroſquę illius ſæculi ſcriptores epiſtolarũ, ſed in primis Ciceronem abundare verbis grauibus, elegantibus, reſonantibus, & ad numerum ſemper cadentibns; ſed frigere in ſententiis, quas nimium raras inſerit orationi, & quas inſerit, ita obruit verborum multitudine & copia, vt vel non appareant, vel amittant natiuam illam venerem, quæ potiſsimnm deſiderat breuitatem: contra Plinium ita temperare orationem ſuam, vt nec argumentum plures ſententias, nec ſententiæ maiores verborum ornatus requirere videantur. At ego, vt non negauerim, pauciores in Tulliana, quam in Pliniana oratione ſententias elucere, eaſdemque ab illo latius & copioſius, ab hoc exilius anguſtiuſque tractari; tamen non propterea crediderim, hunc illi eſſe anteferendum, ac nę conferendum quidem vllo modo, Facit enim ſtyli diuerſitas, quo vterq; vſus eſt, vt nulla in-

ter

Digitized by Google

ter eos comparatio poſſe exiſtere videatur.

Cum enim tria ſint genera dicendi, vnum ſupremum & elatum, alterum infimum atq; humile, tertium mediocre ac temperatum; non omnia eodem modo tractari conuenit, ſed habent ſingula ſpeciem quandam & formam ſuam, qua inter ſe diſtinguuntur, & alterum ab altero facile dignoſcitur. Inter ceteras autem differentias, quas perſequi longum foret, & ad noſtrum negotium minus attinent, vna eſt eaque potiſſima de ratione ſententiarum.quia ſupremum illud genus paucas requirit ſententias, eaſque aliis atq; aliis dicendi figuris variat exornatq; ad dilatādā atq; amplificandā orationē. Infimū vero contra ſententiis & lepide dictis vndequaque circumfluit, eaſque ſatis habet proferre inornatas & fere nudas; certe raro pingit aut veſtit ſumptuoſe.Medium denique genus orationis medio ſe modo habet, & tum ſententiis ipſis, tum earundem veſtibus & coloribus vtitur moderate. Quamquam autē hæc tria, quæ dico genera orationis, pro rerum de quibus agitur, condicione atque natura ſpectanda ſint, & identidem varianda, vt grandia ſublimiter, parua ſubtiliter, mediocria temperate dicantur: tamen ſi quis ingenio vbere, & ad dicendum accomodato ſuapte natura fuerit, his in quocunq; orationis genere verſabitur, genium ſuum ſequatur neceſſe eſt, dicetque in omni argumento copioſius quam ſubtilius, & ornatius quam ſeu-

ſententioſius. contra quicunque ingenio viuido atque acri, ſed eodem minime copioſo aut facundo præditi fuerint, hi licet graue argumentum in manibus habeant, tamen à ſua conſuetudine non deſcedunt, & dicendi quidem ornamenta pauciſsima, ſententias vero, aliam ſuper aliam rotundantes accumulant coaceruantque. nec longe habemus repetere exempla. Ille met M. Cicero, cui maximam vim copiamque dicendi natura largita eſt, quodcunque materiæ genus tractet, adeo ſemper ſimilis eſt ſui, adeo nunquam ab illa ornandi & augendi conſuetudine deſciſcit; vt etiam in dialogis & epiſtolis, quas idem auctor eſt, verbis vulgaribus, & populari quodam genere loquendi texere oportere; tamen facile poſsis agnoſcere naturalem illam vbertatem atque facundiam, non quæſitam, non affectatam, imo ſæpe minus probatam, numquam tamen ſatis euitatam. á qua cum & ſua ſponte, & amicorum admonitu cauere interdum vellet, plane non poterat. huic rei præter cetera, quæ de Tullio ab hiſtoricis memorata ſunt, fidem faciunt epiſtolæ quædam ad M. Brutum lib. xi. familiarium; in quibus laudat Bruti ſimplicitatẽ breuitatemque in ſcribendo, & ſe accuſat intempeſtiuæ dicacitatis. NARRO tibi inquit: antea ſubiraſcebar breuitati tuarum litterarum: nunc mihi loquax eſſe videor. te igitur imitabor. Quam multa quam paucis! te recte valere, operam dare vt quotidie meli-

us. Lepidum commode ſentire: tribus exercitibus quiduis nos oportere confidere. Volo legas Seuerine, pluſculas ex eodem libro ad eundem: notabis facile, quod ego perſpexiſſe mihi videor, magnum illum artificem, & magiſtrum moderandæ orationis, conatum eſſe quædam preſsius atq; inornatius dicere; ſed natura repugnante, aut non potuiſſe, aut certe parum feliciter effeciſſe. Id quod etiã ipſe viſus eſt confiteri, cum alibi, tum in proxima epiſtola, cuius hæc eſt clauſula. SED quid ago? non imitor λακωνισμὸν tuum. altera iam pagella procedit. Vince & Vale.

Alterius vero generis, quod huic oppoſitum eſt, exemplar maxime conſpicuum eſſe nobis poteſt Annæus Seneca: in cuius epiſtolis adeo non apparet verborum ſtructura decentior, vt eum non temere arenam ſine calce veteres appellauerint. ſententiarum vero tantus eſt cumulus tantaque coaceruatio, vt quod aliis laudi, hoc illi vitio tribuatur, Sententioſe loqui. Neque vero diſsimilis eſt ſui, cum ab epiſtolis familiaribus ad grandiores materias ingenium ac ſtylum trãsfert: lege De vita beata, De conſolatione, De prouidentia, De clementia, De ira; dices rerum materias eſſe mutatas, ſed formam orationis eandem manere, ornamentis inopem, ſententiis abundantem: vt hinc facile liceat animaduertere, illum quoque ſi poſſet, mutaturum fuiſſe, & pro rerũ varietate dicturũ. Medium denique ac temperatum orationis

Digitized by Google

genus (meo quidem iudicio) ſecutus eſt Plinius Iunior, ita tamen vt ad Senecam propius accedat, quam ad Ciceronem; vt ingenio, eruditione, natura inferior: ſic diligentia, ſtudio, arte ſuperior. ita videas in Plinio crebriores ſententias, & pauciora ornamenta, quam in Tullio: rurſus plura ornamenta, & rariores ſententias, quam in Seneca. ſed neque agnoſcas in eo illam vim illamque efficacitatem perſuadendi, quam in Tullio admiramur; neque rurſus eos aculeos eoſque ſtimulos ad virtutem, quos Seneca tam feliciter atque frequenter admouet. Iam vero vt intelligas Plinium etiam eo fuiſſe ingenio, vt non facile à ſe deſciſceret, neque pro argumenti varietate variam quoque formam dicendi adhiberet; legas velim ipſius Orationem panegyricam ad Traianum Imperatorē: quæ quamquam exquiſitisſima eſt & prudentisſima; tamen oratoria ornamenta nonnihil deſiderat, & ad Senecæ ſubtilitatem, quā ad Ciceronis vbertatem videtur eſſe propenſior. id quod facilius certiuſque diiudicabis, ſi cum ea contuleris, ex vna parte Manlianam de Magni Pompeij laudibus, ex altera librum vnum De beneficiis ad Liberalem.

Idem fere diſcrimen dicendi video eſſe inter maiores hiſtoricos, Liuium, Curtium, Tacitum. ex quibus primum lacteo eloquentiæ fonte manantem, cum M. Tullio: vltimum breuibus, ſed prægnantibus refertum ſententiis, cum Annæo Seneca: medium denique

nique pari ſpatio incedētem inter vtrumque, cum Plinio Iuniore commiſerim. Dices: quid Salluſtium? cum quibus illum numeras? ego vero cum primis primum: ſed non ſum auſus eum illi locum dare ſine aliqua præfatione, propter iudicium, quod veteres recenteſque de illo ferunt, à quibus tanto conſenſu preſſus, breuis, atque conciſus dicitur, vt prope in prouerbium abierit, Breuitas Salluſtiana. Quod ego in hoc negotio præfari neceſſe habeo, totum eſt contra me. Fateor atque profiteor, me nunquam intellexiſſe, neque nunc intelligere, vbi ſit iſta breuitas in Salluſtio.

Sic enim ſoleo mecum ratiocinari: Breuitatem hanc vel in verbis vel in ſententiis eſſe oportet; nihil hic tertium: ſed neque in verbis, neque in ſententiis mihi quidem breuitas apparet: ſequitur, vt negem me ſcire, quod certe neſcio, cur auctor ipſe breuis exiſtimetur. Propoſitio aliam rationem non deſiderat: aſſumptionem vero ſatis probat oratio ipſa Salluſtiana, quæ tam culta, tam elegans, tam copioſa eſt, vt cum Tullio ipſo poſſe contendere videatur. certe rhetores, quas ad dilatandam, atque amplificandam orationem figuras colligunt, Congeries, Contrapoſita, Similitudines, aliaſque generis eiuſdem; non fere aliis quam e Salluſtio petitis, vel exemplis illuſtrant, vel teſtimoniis confirmant. Et ſane legantur eius quidem, quæ extant omnia, vt encomia virtutis &

Digitized by Google

fortitudinis; vt ignauiæ, luxuriæ, auaritiæ inſectationes; vt fluuiorum, montium, vrbium, præliorum, populationum, cladium deſcriptiones; in primis autem quas interſerit ſeu ciuiles, ſeu militares conciones, vt Cæſariana, Catoniana, Mariana: negabis quicquam à talibus viris adduci potuiſſe non ſolum efficacius ad probandum, ſed etiã vberius & copioſius ad delectandum. Stoicus ac tetricus Cato, qui primum ſuapte natura, deinde etiam vitę inſtituto breuiſsime loqui conſueuerat, hic demum rumpit ſilentium, & non ſolum mitis atque humanus ſed etiam facundus atque diſertus eſt factus, ex quo fuit Salluſtianus. De ſententijs nihil propemodũ habeo dicere ſeparatim. hoc ſatis eſt, neque multas, neque rudes inornataſque, ſed raras, vberes, exaggeratas à Salluſtio adhiberi inter narrandum. Sed ego dum Criſpo laudatæ breuitatis opinionem ereptum venio, demens odioſæ loquacitatis crimen incurri. Quamobrem reiecta in longiorem diem explanatione locorum, quã tibi ſecundam mercedem debeo; ad iudicium de Pliniana oratione hoc tantum addo; vt orationum, ita & rerum, quæ oratione tractantur, tria videri eſſe genera, vnum Negotiale ac forenſe, alterum Lepidum atque officioſum, tertium Morale & graue. ad negotia maxime aptus eſt M. Tullius, ad leporem atque vrbanitatem Plinius, ad mores Seneca. Sunt & auditorum genera totidẽ, & alius alio

magis

Digitized by Google

magis minuſue capitur & afficitur. Mihi veteres ex æquo omnes probantur ; & in ſuo quiſque genere quam facilis ad iudicandum, tam difficilis ad imitandum videtur . Vale .

Commodum litteras complicaueram , & obſignaueram , cum tuus eſt allatus elegans luſus ad Ollum meum . quem correxi leuiter , celeriter : ac remitto .

In Ollum Eunuchum crebrius lugentem .
Ex Gellia Martialis .

Martius hæc vates. NON eſt ſimulare dolentū,
Et vere ille dolet, qui ſine teſte dolet.
Nemo igitur verum non dixerit eſſe dolorem
Olle tuum, ſemper qui ſine teſte doles .

M. ANTONII BONCIARII

AD RVTILIVM STARNIVM APOLOGIA.

Pro vulgatis epiſtolis, ad rem grammaticam ſpectantibus, inter eas, quę ad liberales amicos, aut ad Principes miſſę ſunt.

Diſquiſitio Tertia. *Sancaſsianum.*

INVITAS me officioſis litteris ad veſtras balneas, & confidere te ſcribis, fore mihi non inutiles lauanti, haurienti. O mi Rutili! tu neſcis, iam meam valetudinem ſic excreuiſſe, vt omnem infra ſe artem medendi reliquerit, & nunc inſultet abiectę? longius inquam, proceſsit meus morbus, quam quo illum pigra remedia conſequi poſsint. Quindecim ferme anni ſunt, cum ego medicorum ex officina, vel potius carnificina, non per meam impatientiã, ſed per illorum deſperationem elapſus, aſſerui me in hanc libertatem, qua vtinã diu antea eſſem vſus, & curatricẽ valetudinis meæ maluiſſem eſſe Naturam matrem, quam Medicinam nouercam. Ac ſcias, me nihilominus fuiſſe venturum, niſi

niſi occupatio, ęſtus, longinquitas tenuiſſet. commodius fore arbitror ſub Autumnum, ſtudiis pariter & calore remiſſo. veniam autem, non vt Balneis ſaltem abutar ad delicias, quando vti non licet ad valetudinem; ſed tantummodo vt fruar congreſſu hominũ eruditione pręſtantium, quos et tu ſcribis, & ego antea ſciebã confluere ad veſtras aquas per æſtatem. vt ſunt corpore ſemper infirmo, qui multum ingenij viribus valent. Iuuat me, præteritum tempus repetere, ac memoriam pueritiæ vltimam recordari, cum Conuerſinus pater tuus,meo amicus in fraternum modum, iſtuc me abduxit, tenuitque totum Quinctilem anni (vt rationem ineo) quarti & ſeptuageſimi ſupra ſexquimilleſimum. per quod tempus Sancaſſianum cum veniſſet magnus ille Victorius, non ſemel deductus ad illum ſum; retulique a tali hominis congreſſu dignitatem, a colloquio fructum, a teſtimonio laudem. Veniam igitur ad præſcriptum tempus, niſi quid forte aliter ceciderit,quam ſperamus. Interea mittendam putaui, quam tantopere a me requiris, Apologiam, ſed modeſtam & minime dentatam aduerſus iſtos maiorum artium magiſtros, qui meas in conuentu Epiſtolas legunt; & palam prædicant, id ſibi poſt laborioſas balneationes,aduenire leuamen ſuauiſſimum, certamq; poſt ieiunia refectionẽ, ſi non interdum ad grammaticas quęſtiunculas, quaſi ad viliora edulia, & ſuis non bona

Digitized by Google

ſtomachis, nauſearent. Videbis, num quæ ad pręſens condimentum mutatio fiat ſentẽtiarum, & an veſcendi vel excitetur deſiderium, vel faſtidium opprimatur. Poſſum alterutro eſſe contentus. At ſi neque hoc, neque illud conſequi licebit, meum egomet ſtomachum damnabo lubens, eroque in poſterum ęquior veſtris fontibus: ſiquidem non corporis ſolum, ſed etiam ingenij ac iudicij habitum reformant.

SCRIBIS igitur Rutili, me iſtic hominum non nullorum ſermonibus vapulare, meum iudicium prudentiamq; requirentium, in delectu Epiſtolarum, quas hoc anno emiſimus in lucem. Cum enim pleræq; ad grauiſsimos viros, & claros Principes miſſæ ſint, non decuiſſe, quaſdam exiſtimant interponere de grammaticis quæſtionibus loquentes: quę materia vilior atq; abiectior videtur, quam cui ad honeſtiſsimum illum locum patere aditus debuerit. Reſpondebo, quandoquidem me ita flagitas, vt tergiuerſandi rationem plane nullam inueniam, ſed inuitus. Decreueram enim certo conſilio, cuius nunc explicandi locus non datur, poſtremas haſce vigilias meas relinquere calumnijs obnoxias, & nullam amplius in hoc genere litterã ſcribere. Quis enim defendendi finis futurus eſt, ſi omnia omniũ obiecta refellere aggrediar? Dudum redimere habui a philoſophis exiſtimationem meam; quippequi hoc dictitabãt, meas omnes epiſtolas de puerilibus nugis garrire,

rire, non vnius quidem argumentum eſſe paulo virilius, quod liberalem, & doctum hominem cognoſcere deceret. paulo poſt ſum tutatus eaſdem per contrarium ab Oratoribus, atq; humanitatem profitentibus, qui tanto in numero epiſtolarũ, pati nõ poterant ſex ſeptem, nihilo plures, de quæſtionibus ſupra grammaticum & ſupra vulgum differentes. Vt vel ex hoc conijcere liceat, neutram in partem a me fuiſſe peccatum, quod audiam ab alijs vt grauior, ab alijs vt nugacior. Nec tamen deſunt, qui hæc ipſa pertinaciter culpare non deſiſtunt: præter eos qui numerum, qui dictiones, qui ſyllabas in diſquiſitionem & crimen vocant. quibus ſatisfacere omnibus, infinitæ cuiuſdam operæ ac patientiæ fuerit. quædam vero diluere, quędam non tangere, difficilius eſt, certe odioſius, quam vel admittere, vel omittere totum negotium. Age vero quoniam ſemel vicit contentio tua propoſitum meum, aduerſus miſogrammatas faciamus aliquid litterarum.

Atq; vt hinc exordiar, ne viuam, mi Rutili, ſi non multo fuiſſet melius, abſtinere penitus ab illis tricis atq; quiſquilijs grammatiſtarum. ſex admodum epiſtolę huius generis, plures mihi maioreſq; moleſtias exhibuerunt exhibentq; in dies, quam generum diuerſorum ducentæ reliquæ. adeo pertinaciam quorumdam irritauit noſtra illa (vt vocant) nouitas pręcipiendi. Clamant ple-

Digitized by Google

riq; in hoc quaſi regno grammatico quandã me tyrannidem exercere, dum alijs addo, alijs detraho, quædã muto, inuerto, peruerto ad arbitrium & ſenſum meum. HOMO, inquiunt, communis ſemper generis fuit: cur tu feminam inde abſtrahis & viduum cogis eſſe, non dum mortua uxore? Ita hiç mecum agunt lege Iulia De Diuortijs. Alibi queruntur, quod duos Verbi famulos, Supinum atq; Gerũdium de plebe tranſtuli ad Patres, & decem feci Principes latinitatis, cum octo ad hanc diem ſemper fuerint. Alii criminantur, quod DOCEO, virum nobilẽ ſuo iure priuauerim, & iuſſerim quandoq; famulo non animato eſſe cõtentum. Denique alii dolent, magnam vocum turbam ab Latio pulſam actamq; in exilium, & mortem deflent Optatiui, quem dictitant a me fuiſſe interfectum. Quis non intelligit futurum fuiſſe, vt hęc me cura non tangeret, ſi ego iſta non tangerem? de aliis enim plane omnibus epiſtolis amici vetant, eſſe ſollicitum. imo vero de illis ipſis, quę ad grammaticam ſpectãt, aguntur mihi gratiæ a compluribus inſigniter litteratis, earumq; defenſio ſponte ſuſcipitur. Iam ergo audias illorum rationes pariter, ac meas, ſi hoc prius poſuero commune verbũ, quod natura mortales docuit, veterũ auctoritas ſanxit, & poſterorũ cõtinuatus uſus retinuit & cõfirmauit. De omni argumẽto licet ſcribere epiſtolas, graui, iocoſo,
vrbano,

vrbano, ruſtico, inani, nullo. Quia cum epiſtola non ſit aliud, quam colloquium ad abſentem, quam late patet hominum ſermo, tam etiam late patet ſcriptio. & quemadmodum linguæ terminos nemo definit, aut circumſcribit; ita ne calamus quidem compellendus eſt in anguſtias. vagetur libere, qua ſcribentis voluntas fert: omnia illi peruia, expoſita, ſubiecta ſunt. infinita prope libertas eſt ſcribentium per epiſtolam. vnum hoc ſcriptionis genus capax eſt omniũ argumẽtorum. Si quis autem de logica, de grammatica, de poetica, de iure ciuili, de re medica, de re agraria, deniq; de phyſicis, de mathematicis, de theologicis, & de quolibet rerum genere ſcribendum ſuſcipiat; non debet illius facultatis ſeu doctrinæ terminos tranſilire, quam initio habuit propoſitam. alioqui prudentium hominum reprehenſionibus non carebit, ſi (verbi gratia) in tractatu de teſtamentis, docere velit cauſas rationeſque ventorum, vel ad diſputationem de febribus temere attexat regulam verſuum faciendorum, aut tractatum de patronymicis. Contra illi qui ſcribunt epiſtolas, de his omnibus agere impune poſſunt. lege Plinium, Sidonium, Iulianum, imo Senecam, Tullium, Platonem, & ſingulos antiquorum; lege etiam Politianos, Picos, Barbaros, & Italos plane omnes; videbis nullam eſſe materiam ſiue tam altam, ſiue tam humilem, ex qua clari homines epiſtolas non conflauerint.

Digitized by Google

rint.quamobrem ſi de omnibus rebus licet colloqui per ſcriptas litteras, licebit etiam de grammaticis: imo de his licebit id eo amplius, quod litteræ ipſę a grāmaticis inuentæ, excultæ, ornatæ ſunt; a quibus etiam habent nomen. grammata enim ſignificant litteras, & grammatici litteratores; aut litteratos.

Hic vt conijcio, dicturus es, quod etiam alij dicunt, & res poſcit: Non vetamus ex quacunque materia fieri epiſtolas, quo modo ſtatuæ conflantur aut finguntur non ſolum ex ære, argento, auro; verum etiam ex marmore, ligno, cera, luto: ſed hoc dicimus, non decere cum epiſtolis nobilibus miſcere ignobiles. Fiant vero epiſtolæ non ſolum de re grammatica, ſed etiam de re muraria, de ferraria, de culinaria; tum ſi tanta edendi libido eſt, edantur quoq; ; ſed aut ſolæ inter ſe, aut ſaltem cum ſimilibus eiuſdem pretij, materiæ, loci, ordinis: non cum granibus, vrbaniſq; colloquijs ad doctos viros, ad claros Principes, ad ampliſsimos Cardinales. Audio:& procedam ordine in reſpondendo. Non licet inquis, agere vrbanum cum magnis viris, & grammaticum cum magiſtris. Quid ita iſtud? Nempe quia, vt dicitis, Ars grammatica talem locum non meretur, propter humilitatem ac ſordes ſuas. Quid ſi docuero, nobilem claramq; eſſe artem grammaticam? Viciſti inquies, ſi hoc viceris: manum damus. At ego defenſionis

huiuſce

huiuſce faciam partes duas: primum enim oſtendam, quod po ſui, non eſſe vilem, abiectamq; hanc diſciplinam, vt vulgo homines opinātur: deinde etiam ſi humillima & abiectiſsima eſſet, tamen haud indignam debere videri, quæ talibus etiam epiſtolis inſeratur. Age nunc priorem quæſtionis partem explicemus. in qua, quoniam ſcio non in omnibus, & minime omnium in grāmaticis quærendam eſſe acriuologiam mathematicam; omiſſis dialecticorum argutijs, agam pinguiter, atq; ſimpliciter ad hunc modum.

Maxima & nobiliſsima ædificij pars fundamentum eſt: Grammatica eſt tamquam baſis ac fundamentum ædificij litterarij: ergo Grammatica nobilis & inſignis facultas eſt. Præterea ſi nobilitas, ut philoſophi dicitis, maxime ſumitur a re obiecta; nobiliſsimus eſt humanus ſermo, circa quem Grammatica verſatur augendo, emendando, expoliendo. Quod ſi non ignobiles cententur diſciplinę logica, rhetorica, poetica, quę pariter occupatæ ſunt in ſermonibus, prima probabiliter diſſerendo, ſecunda ornate dicendo, tertia per varios numeros canendo: quis dixerit, non ſaltem æque nobilem eſſe Grammaticam, quæ ſermonem eundem tractat, & ita ſuum vindicat tenetq; vt reliquæ artes quaſi mutuum ab illa ſumere cogantur? Prætereo huius ſupra ceteras neceſsitatem, & parem ceteris vtilitatem, a quibus etiam nobilitas ducitur. nimis iſta in aperto ſunt, &

nota

nota omnibus. hoc fortaſſe obſcurum non nullis eſt, quod maxime quæſtionem continet. ſic enim vulgo opinantur, ignobilem eſſe Grammaticam, quia non niſi ab ignobilibus coli & exerceri videatur; nempe (vt illi dictitant) a pędagogis, ab indoctis ludimagiſtris, & a vulgaribus puerilium doctrinarum profeſſoribus. Nec ſane dubium eſt, dignitatem quoq; nobilium artificum ad ipſas artes redũdare: de quibus ea clarior exiſtimatur, quæ clariores ſui cultores nacta fuerit. A quibus igitur culta, ornata, & poſteris tradita fuit Grammatica? Non faciam, vt transferam in hunc locum, quęcunq; a Rauiſio Textore in ſuam Officinam congeſta ſunt. Tu ſi catalogum illum excurreris profeſſorum, negaturus es, cuiquam diſciplinæ nobiliores, quam grammaticæ, obueniſſe cultores. Mihi duos nominare ſatis eſt, P. Nigidium Figulum, & M. Terẽtium Varronem. de quibus ille cum maxime principem inter philoſophos locum obtineret; tamen verecundatus non eſt, Romæ grammaticam profiteri, & multis illam voluminibus explicare, hic vero cum gręcos latinoſq; omnes doctrina ſuperaret, vt S. Auguſtinus atq; Lactantius fidem faciunt; adeo non erubuit grammatici appellationem, vt de litteris quatuor & viginti libros conſcripſerit, eoſq; miſerit, ad quem putatis? ad pædagogum aliquem fortaſſe, aut triuialem ludimagiſtrum? ſcilicet: libros inſpicite, quorum ſex ſeptem

ad

ad noſtram memoriam peruenerunt. in quibus de nominum inflexionibus, de verborum coniugijs, de caſu, de modo, de tempore, de numero ſubtiliſsime agitur. videbitis in fronte M. TERENTII VARRONIS de lingua latina libri viginti quatuor ad M. Tullium Ciceronem. Si teſtimonium exemplũq; duorum conſularium haud fortaſſe ſatis putatur ad grammaticam nobilitandam, ſumatur tertiũ ab Imperatore C. Iulio Cęſare, qui duos reliquit libros de Analogia, hoc eſt non de media intimaq; grammatica, ſed de principijs eiuſdem. fragmenta in manibus ſunt, quæ Antonius Auguſtinus, & Carolus Sigonius, & Fuluius Vrſinus diligenter collecta ediderunt.

Poſt probatam Grammaticæ nobilitatem & claritudinem per doctiſsimos atq; ampliſſimos viros, qui huic arti ſe dediderunt, & commentarios in eamdem ad poſteros tranſmiſerunt: parabam tranſitum ad ſecundum huiuſce quæſtionis caput; cum ſe ſub calamum obtulit Demetrius Phaleræus, de quo neutiquam mihi ſilendum puto. hic ille eſt Demetrius Theophraſti auditor, quem Agellius, quem Varro, quem M. Tullius ob egregiam fabricandæ orationis peritiam, exquiſitiſsimis laudibus in cœlum ferunt. huic nihil obſtitit Grammatici appellatio atq; profeſsio, quominus Regi Ptolemęo ſemper familiaris atq; intimus foret, cui etiam perſuaſit (vt Ioſephus teſtatum reliquit) vt ſa-

cra

cra Biblia ab Hebræis poſceret, & in græcum ſermonem conuerti iuberet. idem ob eximias virtutes totum decennium Athenienſibus præfuit, trecentiſque ſexaginta ſtatuis æreis honoratus eſt. Ad quam quidem honoris famæq; amplitudinem, vereor vt quiſquam aliarũ profeſſor artium adſpirare vnquam potuerit. libri eius ad rem grammaticam ſpectantes, cum plurimi ab hiſtoricis memorentur, qui periere; vnus viuit vigetq; integer De ſermonis cultu, quem a Græcia in Latium Petrus Victorius, ab Latio in Etruriam Petrus Segnius feliciter contulerunt. Taceo Pontanos, Eraſmos, & Iulios Camillos, & Scaligeros, & Bembos, alioſq; noſtratium, quos putem ipſos poſſe erubeſcere, ſi poſt veteres tam multo, atq; tam nobiles memorentur.

Conſtat ergo, inclytam celebremq; eſſe grãmaticam, ſiue humanum ſermonem reſpicis, in quo formando & poliendo verſatur; ſiue cultores eiuſdem conſideres, qui ſupra ceteros eruditi, atq; inſignes fuere. Sed iam faciamus, mendicam, humilem, abiectamq; eſſe, & haberi grammaticam; faciamus, quod fieri non poteſt, vt cultura ſermonis ad ſolos pertineat Ludimagiſtros, aut pædagogos: concedamus, quod non Cicero, non Varro, non Cæſar, non quiſquam ſanus concederet, omnem de re grammatica quæſtionem, quiddam eſſe puerile, ac minime liberale: tamen dico, epiſtolas quæ de talibus loquuntur, non

eſſe

Digitized by Google

eſse indignas, quæ cum grauibus honeſtiſq; Principum colloquijs miſceantur. Propterea quod (vt lectorem initio monui) hoc ego Epiſtolarum volumen, quaſi conuiuium atq; publicam cenam eſse volui. decet autem in conuiuio, etiam illo, quod priuatum ſit, & in quo ſoli diſcumbant Principes, non apponere tantum lautiſsima eduliorum, vt lepores, vt perdices, vt phaſianos; verum etiam leuiſsima quædam interponere, imo præponere, vt latucas, intyba, bugloſsam, & alia leuiora, quorum ſcilicet acrimonia partim excitat appetitionem, partim temperat dulcitudinem. ſunt vero ruſticæ dapes adeo neceſsariæ, vt nõ ſit conuiuiũ ſine illis: & feratur interdũ cena ſine caponibus, ſine oſtreis, ſine iſtis autem frugibus non feratur. En quo modo minimis quibuſque ſuum pretium eſt, nec euitantur a grandibus, ſed inuitantur. Puta, illas bene loquendi ac bene ſcribendi præceptiunculas, in meo quaſi conuiuio epiſtolico, locum tenere olerum aut porrorum, quæ prægustata renouabunt edendi cupiditatem, & iucundiorem tibi efficient reliquam cenam.

At enim ruſtica iſta & illiberalia, dicũt aliqui, ſtomacho noſtro non ſapiunt. Credo: ſunt enim non nulli ab acribus ſiue omnibus, ſiue pleriſque abſtinentes natura: & ego ſcilicet inter iſtos, ſed quemadmodũ inuitati ad cenam, ſi acetariũ, ſi braſsica, ſi cucurbita nobis non placeant; omittimus iſta ſcilicet, &

ſinimus

animus veſci eos, quibus placeant: hoc modo te geras licet in cena epiſtolari. vt grammatica nimirum omittas, & ijs relinquas, quorum ſtomachus facile coquit; tu ad fercula meliora, & tibi magis accõmodata manum extendas, atq; veſcaris pro arbitrio. nec enim æquum eſt, ſi tu caſeum & lac non ames, ceteris etiam conuiuis apponi lagana ſine caſeo, macherones ſine butyro. ſatis eſt tuam pultem dimittere incaſeatam, & miſerari tuam vicem, qui comeſſe iſta poſſis, neque aduerſus allia, cepaſq; iſtud odium reſeruaris.

Eſt & altera ratio, rerum ex ſua natura uilium excuſandarum, qua vir grauiſsimus, & omni doctrina politiſsimus Alexander Magius in hoc ipſum propoſitum vti conſueuit aduerſus hos miſogrammatas. Hanc ego referam cum pudore, quia me laudat: & referam tamen, quia in propoſitum cadit, & ad rem facit egregie. Grammatica inquit, infima & abiecta res eſt. Concedatur hoc diſputationis gratia, quod pro vero affirmari non poteſt. Ergo inter grandia & illuſtria locum non habet? Hoc non conſequitur: quia ſcientiarum & artium, vt aliarum inter ſe rerum coherentium, ordo quidam & gradus datur, per quem ſuus cuique aſsignatur locus, nec vlla excluditur. Poëſis nobilior eſt quam dialectica, & dialectica quam rhetorica: harum infima ſit grammatica: omnes tamen ſorores ſunt, & eandem agnoſcunt

parentem

parentem philoſophiam. nec enim ſi oculus pretioſior eſt quam pes, iccirco hanc partem corporis non appelles. eſto oculus pars nobilior; pes quoque pars eſt, ſed ignobilior, nec a fratre dignus illudi. Age vero ad Magianam rationem propius accedamus. Vilia inquit, appellanda non ſunt, quæ cum dignitate atque ſplendore tractantur. ſi Grammatica in epiſtolis tam exiliter atq; humiliter traderetur, quam ſolet pueris in Ludo: diceretis fortaſſe aliquid, quod audirem. nunc cum illę præceptiones non vulgari modo,ſed eleganti & exquiſita ratione doceantur; nullum puto eſſe ingenium liberale, quod earum repetita lectione non delectetur. Hæc ita non ſemel diſſeruit Prolegatus: & (quod facile perſpici potuit) non diſcrepabat a ſermone ſententia. ſiquidem Volumen totum cum percurriſſet, identidem recurrebat ad eas, quæ de grammaticis loquerentur:mihiq; ad regulam de DOCEO cum patiente non animato, ſpopondit aliquid exemplorum ex Pandectis, & ciuili iure Quiritium.

Illuſtrior fiat ratio per comparationem, ſumptam pariter de triclinio. Scribit Cicero ad Gallum poſt legem ſumptuariam a C.Cæſare latam, quæ intra certos limites conuiuiorum impenſas finiebat, extitiſſe homines delicatos & lautos, qui dum volebant terra nata, quę lege excepta erant, in honorem adducere; fungos, heluellas, her-

bas

bas omnes ita condiebant, vt nihil poſſet eſſe ſuauius. Tu igitur arbitrare, maluarum atque betarum ſimillimas eſſe quæſtiones de re grammatica, quę cum apte, ſuauiter, & concinne per epiſtolam explicantur; iam non pauperum egentiumq;, ſed Principum & Regum cibus fiunt. Illuſtriorem adhuc rationem de triclinio ducamus, quam miror non animaduertiſſe lectores, quos ad conuiuium per epiſtolam in ipſo voluminis initio inuitaui. porro ibi profeſſus ſum, me daturum illud ſiue ientaculum, ſiue antecenium, ſiue quanuis intempeſtiuam comeſſationem. In qua cũ plurimi eſſent accubituri ætate, profeſſione, ingenio, natura diſpares & inęquales; faciundum mihi fuit, vt apponerem quã multa, & quam varia poſſem genera ferculorum. Eſt prouerbium, QVOT capita, tot ſententiæ. transfer ad rem cibariam, non minus vere hoc dixeris, QVOT ſtomachi, tot apetitus. Itaque ſi conuiuium tam copioſum, atq; tam publicum non haberet ciborum varietatem, ad famem identidem integrandam, aut regignendam; periculum fuit, ne de tot numero conuiuarum, alios dimitterem ieiunos, alios vero affectos ſatietate. Solet enim vſu venire, mi Rutili, quod ego non ſemel expertus ſum: ſpero item te: vt cenam quamuis lautam & ſumptuoſã, ſi ad guſtum noſtrũ, non fuerit, inceſſamus vltro, & macram, tenuem, atq; vulgarem fuiſſe dictitemus: contra ſi vnum ſalté offendimus cibi genus, quod nobis ſapiat, totum

tum vltro conuiuium laudemus, & magnificũ fuiſſe fateamur. In ipſis meis Epiſtolis iam id accidit, quod memoro per imaginem. multi ludimagiſtri, vel in conuiuium admiſsi non fuiſſent, vel admiſsi nihil guſtaſſent, niſi haſce grammaticas epulas olfeciſſent, & ſe illis explere potuiſſent. Quocirca ſinite in meã gratiã, hos etiam magiſtros puerorũ habere in conuiuio partẽ ſuam: ſinite hoc libentius, quod illi quidem ſuis tantummodo cibis paſcuntur, pinguibus & craſſis: veſtros non tangunt lautiores. At vos inter epulandum, poteſtis facile ad illorum edulia manum porrigere, ac libare. ſatis enim docuimus, non eſſe indigna veſtro palato, quoniam vilia dici non poſſunt, vel ex ſua natura, vel beneficio condientium.

Atque ego tamen, ne quid mentiar, aut celem te intimum amicorum; epiſtolas de Grammatica non edidi ſparſiq; eo conſilio, vt perpetuum ibi eſſent: minime vero iſtuc quidem: ſed tantummodo vt elicerem de illis quoque iudicium legentium. Enimuero ſcias velim, eſse mihi in manibus librum prægrãdem, DE latinis quęſtionibus. in quo quidem docere inſtitui rationẽ ſermonis latini emendandi, augendi, expoliẽdi. titulum feci, LOGODIDASCALVM. Atq; huc ſcilicet reuocandæ sũt Epiſtolæ illæ omnes, aut pęne omnes, quæ loquendi præcepta tradunt. in hoc inquam perpetuum habituræ ſunt domicilium, præſens vero illud in quo nunc

ſunt,

ſunt, diuerſorium eſt. Itaque tamquam hoſpites, eaſque (vt vides) modeſtas & verecundas, eouſque libenti animo ferri poſtulo, dum illis domum ædifico, in quam paulopoſt immigrabunt; viuentque cum ſuis.

Digitized by Google

M. ANTONIVS BONCIARIVS

IACOBO PHILIPPO SPADAE S. D.

VNIS litteris duo a me poſcis, ideſt primo vt expediam Virgilij locum, quem Seruius inuoluit, alij fruſtra euoluere tibi videntur: & nihil erras. ſecundo vt ex meis Analectis, vnum atque alterum caput tibi præbeam ad deguſtandum. Fatebor ingenue: neutrum facturus fui, ſi alterutrum rogaſſes. occupatio, infirmitas, labor, tædium denique ſcribendi aut dictãdi tenebat. feci autem vtrumque commodius, quia ſimul rogaſti vtrumque. Miraris fortaſſe, quo nam modo potuerim melius, & fecerim libentius duo, quam vnum? Ego iſtum Verſũ diu antea diſcuſſeram, meamque rationem mox retuleram in Analecta. Curaui ergo totum illud & ſequens caput deſcribendum, mittendumq; ſtatim ad te. neque hic mihi quicquam moleſtus labor fuit cogitanti, me vna opera duo conficere negotia, hoc eſt munuſculo vno ſimul grandem, ſimul duplicem a te gratiam eſſe initurum. Vale.

Expe-

Expenditur primus Virgilij verſus Libro Sexto Aeneidos, & docetur, Quid ſit, Immittere Claſſibus habenas. Caput I.

OBLATVM mihi eſt nuper editum trans Alpes grande volumen, vt auctor inſcribit, Obſeruationum; vt nobis videtur, Obtrectationum & conuiciorum aduerſus noſtri, & ſuperioris ſeculi principes litteratos. Ad quod euoluendum cum me curioſitas, & ſciendi cupiditas illexiſset, addita pręſertim hortatione nobiliū amicorum; non lõge progreſsus in legendo erã, cum me præter dicacitatem, & iactantiam hominis, incredibiliter offendebant plenę paginæ puerilium exordiorũ ad res humiles puſillaſque. quibus per explicationem magis ſępe implicatis, & per correctionem diſtortis, æque longæ ſuperbarum concluſionum laciniæ con ſequebantur. Itaque monui Anagnoſten, vt reliquis celeri oculo percurſis, aut ſecũ murmuratis, non legeret mihi aliud, quam nudas ipſas locorum interpretationes, & rationes eorundem. nempe vt pueruli faciunt in exponendis per Aſcenſium Marone aut Flacco, qui ceteris pręterniſſis, currunt ſemper ad Ordo eſt. Sed ego iam vereor, ſi pergam

iſto

Digitized by Google

iſto modo præfari, ne impingam ad ſcopulum, cui queror alium incurriſſe.

Scitum eſt Plinianum dictum: Non eſſe vllum librum tam; malum, quin aliquid boni habeat, ſi ſcrutere. Legimus capita magnis nugis referta quatuor & viginti, quæ duos implent iuſtos libros Obſeruationum. In his duo ſaltem fuerunt relatu dignisſima, quorum docta vtilitas facile redimit ineptias reliquorum. In primo explicatur hemiſtychium Virgilianum ſane acute, contra Seruium aliosque interpretes ſiue antiquos, ſiue noſtrates.

Sic fatur lacrymẽs, claſsique immittit habenas:
Et tandẽ Euboicis Cumarũ allabitur oris.

In controuerſia hoc vertitur, ecquid ſit Immittere habenas nauibus. obſcure Seruius & ambigue: Aut funes, inquit, per metaphoram Virgilius dixit, aut lora intorta ſecundum Homerum. quia his antiqui pro funibus vtebantur. alij magis aperte, per habenas intelligunt funes nauticos & retinacula, quibus anchoræ diſtinentur, & naues religantur ad littora. locum vero ſic exponunt, vt Aeneas immiſerit nauibus habenas, hoc eſt funibus ſolutis, naues ad nauigandum expedierit, atque habiles celereſque reddiderit. Immitere igitur funes aut lora nauibus, non eſt aliud, quam reducere ac reponere intra nauim retinacula & vincula ſuſpẽſarum anchorarum. Sed longe acutius apertiuſq; meus Obſeruator. Metaphora eſt, in-

C quit,

quit, ab equis ad naues. & quoniam, quod in equo eſt frenũ, id in naui eſt gubernaculũ; hoc nimirum dicit Virgilius, Aeneam ſuę naui habenas immiſiſſe, hoc eſt indidiſſe aliud gubernaculum, priore ſcilicet deuulſo per Palinurum, qui paulo ante in mare decidens, illud ſecum abſtulerat. ſic enim de illius caſu Virgilius in quinto extremo: *(tus,*

Vix primos inopina quies laxauerat ar-
Et ſuper incũbens, cũ puppis parte reuulſa,
Cũq; gubernaclo liquidas proiecit in vn-
Præcipitem ——— *(das*

Hoc ipſum fatetur etiam Palinurus apud eundem libro 6. cum Aenea loquens in ripa citeriore Acherontis.

Namq; gubernaclũ multa vi forte reuulſũ,
Cui datus hærebam cuſtos, curſuſq; regebã,
Præcipitans traxi mecum. ———

Aeneas igitur immiſit claſsi habenas, hoc eſt clauo altero ad puppim applicito, frenauit infrenem, & ſic tutam effecit nauigationem. Hæc nimirum Obſeruatoris ſententia eſt: verba paulo rudiora. ſed ego elegantiam in talibus, vt ſi adeſt, commendo; ita ſi abeſt, non deſidero. facilitati & acumini exponentium primas do. Sic igitur arguta hæc expoſitio me affecerat; vt totum librum putarem non malum, quia hoc ſaltem haberet bonum. Sed cum eam laudarem atq; extollerem palam; Iacobus Mercatus, nunc Silueſtrinorum arbiter Generalis, homo græcis atque latinis litteris perpolitus, & mihi amicus inter

paucos

Digitized by Google

paucos, libellum protulit, multis ante annis Peruſię vulgatum a Modicio Montferratenſi, cuius hæc erat inſcriptio, VIRGILIVS a calumnijs vindicatus. In eo hæc diſerte leguntur pagina 72. Palinurus, inquit, in fine libri quinćti a ſomno pręceps datus, in vndas reuulſum clauum ſecum trahit. Aeneas ſentit nauim fluitare, amiſſo & gubernaculo, & gubernatore, ipſe regit nauim; quod vt facere poſsit, nouum clauum pro amiſſo immittit naui: quia vt equus regitur habenis, ſic nauis clauo dirigitur. claſſem pro naui dixit: quia qui nauem prætoriam regit, quam ceteræ naues ſequi iubentur, claſſem regit. Hæc ſcilicet ad verbum Modicius. Quæ tãetſi perargute videntur excogitata; Maronis tamen longe alia mens fuit, vt ego opinor. Cum enim celerem claſsis curſum exprimere vellet, ad Italiam in conſpećtu iacentem; dicit Aeneam non ſuæ tantum naui, ſed claſsi vniuerſæ habenas immiſiſſe, hoc eſt velis remiſq; contendiſſe ad nauigandum: quo modo illi facere ſolent, qui duris ąćti tempeſtatibus, & longa većtatione defeſsi, portum tandem a longinquo proſpiciunt, eiuſq; potiundi cupidine incitati, remis incumbũt, vela pandunt, vires intendunt, & nihil ſibi reliqui faciunt ad celeritatem. Metaphora enim, quã poëta elegãter deducit ab re equeſtri, plane ſic explicatur. Nauim, Plautus equum ligneum appellat currentem per vias cæruleas. huic habenas immittere dicimur,

Digitized by Google

cum relaxamus, & expedimus ad curſum. Quod autem immittere habenas idem ſignificet, quod laxare habenas; aperte docet Neptunus apud Ouidium lib. prim. Metam. vbi pariter ab equo ducit metaphoram, ſic alloquens fluuiorum Deos.

——— Non eſt hortamine longo
Nunc, ait, vtendum: vires effūdite veſtras.
Sic opus eſt: aperite domus, ac mole remota,
Fluminib⁹ veſtris totas immittite habenas.

Quamobrē immittere claſsi habenas, adeo non eſt frenare claſſem, vt ſit potius defrenare, ac ſinere in pronum ferri curſu liberiore. Si quis autem non credit, eundem conſulat poetam, rogetque Ouidium ipſum, quid illi fecerint pręſides fluuiorum, poſtquam iuſsi ſunt fluminibus ſuis immittere habenas; ſic enim reſpondebit.

Iuſſerat: hi redeūt, ac fontibus ora relaxāt.
Et defrenato voluuntur in æquora curſu.

Si cui autem Naſonis auctoritas haud eſſe ſatis videtur ad hos grammaticos refellēdos, vt non nulli Ouidium (ſi Muſis placet) non optimum exiſtimant latinitatis auctorem debere cenſeri: age ipſum arceſſamus Maronem, a quo grammaticis appellatio non datur. Quid ergo eſt apud illum in alijs locis, Immittere habenas? mihi vnus ad mentem redit lib. v. haud longe a caſu Palinuri, de incenſis nauibus per Iunonem a matronis Troianorum. Ibi namq; cum Poeta graſſantem flammam, & ſe latius fundentem exprimere

mere vellet, ita canit.

Cõclamãt, rapiũtq; focis penetralibus ignẽ,
Pars ſpoliãt aras, frõdẽ ac virgulta, faceſq;
Conijciũt. furit immiſſis Vulcanus habenis.

Accedit, quod Maro ipſe ſuam ita explicat ſententiam, vt lectori non oſcitanti dubium nullum relinquere videatur. ſcribit.n. eodem in libro, poſt caſum Paſinuri, ſtatim Aeneam ipſum ſucceſsiſſe in gubernatoris locum, ac nauim gubernaſſe per totam noctem. gubernare autem qui potuit ſine gubernaculo? verba hæc ſunt.

Cum Pater amiſſo fluitãtẽ errare magiſtro
Sẽſit; & ipſe ratẽ nocturnis rexit in vndis,
Multa gemẽs, caſuq; animũ cõcuſſus amici.

Quibus ex verbis intelligas oportet, prius ſubſtituiſſe alterum clauum, quã ſedere poſſet ad clauum. Poſtremo Hannibal Carus, non hercle contemnendus interpres, locum controuerſum ita Etruſce reddidit.

Coſi piangendo diſſe: e nauigando
Di Cuma in ver l'Euboica riuiera
Si ſpinſe à tutto corſo.

Verum nos arbitror de re perſpicua nimis verborum. Tempus eſt finem facere ſcribendi, hoc eſt (vt cum Obſeruatore meo loquar) calamo immittere habenas.

Quid ſit apud Horatium Ficus duplex, exponitur, et magno viro ſua ſententia reſtituitur. Cap. 2.

NON ſum oblitus, quod propoſui capite proximo ſuperiore, locum alterum a me fuiſſe in eodem Obſeuatore obſeruatum, æque dignum ſcitu, nec minus iucundũ relatu. locus eſt apud Flaccum, Satyra ſecunda libri ſecundi.

At, mihi ſeu lõgũ poſt tẽpus venerat hoſpes,
Siue operũ vacuo gratus cõuiua per imbrẽ
Vicinus: bene erat, nõ piſcibus Vrbe petitis,
Sed pullo, atq; hoedo: tũ pẽſilis vua ſecũdas
Et nux ornabat menſas, cum duplice ficu.

Ad quem locum ita Lambinus. Cum duplice ficu, ideſt vt docet Turnebus, cui aſſentior, cum duplicibus ficubus. ſunt autem ficus duplices, maiores, & quaſi geminæ, quas mariſcas appellant. Meus autem Obſeruator quid ad iſtæc? poſt ſolemnem inſectationem, & indigna ludibria virorum ſui diſſimilium: hoc eſt doctrina excellentium: Flaccus, inquit, non dicit mariſcas maiores aut minores, ſed ficus bifidas, hoc eſt per mediũ diuiſas, ſiccataſq; ad Solem. poſtea iterum coniunctas, vt mos fuit antiquis curare ficus, & recondere in hiemem. Dico equidem, quod verum eſt. hic mihi acumen hominis adeo placue-

Digitized by Google

placuerat, vt condonarem vni expoſitioni ſexcentas nugas. omnino id mihi videbatur, quod etiam nunc videtur ad rem eſſe Obſeruatoris mei ſagax inuẽtum, & alias res egiſſe doctiſsimos viros, cum illa ſcriberent de mariſcis. Id autem quo facilius etiam alij credant, non grauabor adſcribere, quæ magnus Mercurialis in hanc ſententiam prius docuerat,& vulgauerat ante annos ipſos duodeuiginti.eius verba hæc ſunt Variarũ Lect. lib. V. cap.V. VETERES quoque,ſicut & noſtrates ficuum ſtudioſos extitiſſe indicant varia ipſarum, quæ habuerunt,genera tam ſimplicia,quam arte parata; & inter cetera apud ipſos nominatæ reperiuntur Ficus duplices: quę quales fuerint, non ſatis, mea ſententia, explicuerunt Turnebus atque Lambinus, qui Horatij, Vegetij, & aliorum hac de re mentem interpretantes, ita ſtatuerunt, maiores ficus, alias mariſcas nuncupatas, pro duplicibus eſſe intelligendas. Quod quam ſit a ratione alienum, atq;a Vegetij inſtituto,facile eſt diligenti lectori percipere.Quapropter ſentio ego, Duplicẽ ficum ab Horatio, Plinio, Vegetio eſſe appellatam, de qua ſcribit Columella lib.12.cap.15.in hunc modum. Alij pinguiſsimam quamq; viridium ficorum eligunt, & arundine vel digitis diuiſam dilatant, atque ita creſcere patiuntur: quas deinde bene ſiccatas meridianis temporibus, cum calore ſolis emollitæ ſunt, colligunt, & vt eſt mos Afris atque Hiſpanis,in-

ter ſe compoſitas comprimũt in figuram ſtellarum ſloſculorumque,vel in formam panis redigentes, tum rurſum in ſole aſsiccant, & ita in vaſis recondunt. Hactenus Columella. Ex cuius ſermone colligere licet, eſſe duplicem vocatam, quoniam in duas partes findebatur. quarum altera alteri ſuperpoſita, & in formam crucis ſeu ſtellæ compreſſa, merito duplicata ficus dicebatur :erat enim pinguiſsima,& iucundiſsima, ob idque et in menſis, & in medicamentis exoptata. Hęc nimirum Mercurialis. ad quæ ſtatim adijcit, quę de hoc ficuum genere ſcripta reliquit in Problematibus Ariſtoteles, non conſentànea ſolum, ſed propemodum eadem cum his ipſis; quę poſt docuit Obſeruator. nec ego illum tamen furti accuſo : minime gentium. ſatis enim ſcio eſſe hominem reuerentem, modeſtum, & magnos ſapientiæ cultores ab eo tangi non ſolere. Quid ergo eſt? vetus Horatij commentator, quem Cruquius compilauit, eaſdem ficus non maiores appellat, ſed bifidas. vt valde hoc mirer non vidiſſe, aut viſum non adnotaſſe Lambinum.

Et ſi autem mihi dubium eſſe non poteſt, quin Mercurialis veram & genuinam attulerit loci huius explicationem:tamen vir admodum eruditus ficum duplicem putabat, ab Horatio dictam, pro duplici genere ficuum, nempe vt eadem in menſa poneret ficus aridas, & ficus virides. neque obſtare, quod Flaccus talem cenam apponeret, hieme iam adulta,

adulta, cum ſimul de vua penſili, ſimul etiam de hoedo mentionem fecerit. primum enim reſpondebat, Ficus recentes in calidis regionibus ad vernum vſque tempus manere non inſuaues: deinde rationem quandam docebat, priſcis vſitatam, extendendæ ac nutriendæ viriditatis in ficu, & perſico, tamquam in vua, & malis & pyris. Verum ego tamen magis aſſentior Mercuriali. quem nõ puto fuiſſe omiſſurum, ſi de hoc genere quicquam reperiſſet apud inclytos phyſiologorum, aut medicorum. Sed nos ad noſtras Muſarum amoenitates reuertamur.

Magnus vir qua ratione homines vere doctos ſecerneret a non doctis.

Caput tertium.

P. Maffæus Ieſuita, ille maximus ac poliſsimus noſtri temporis hiſtoricorum, & idem inſtructiſsimus omni arte atque ſcientia liberali cum Peruſiæ continenter fuiſſet biennio extremo ſæculi ſuperioris, mecumque familiarius, certe frequentius, quam cum ceteris verſaretur: memini hoc illum dicere ſolere; Si quis quempiam immodice apud illum laudaret conferretque cum doctiſſimis antiquorum: vt ſunt plerique proniores ad eorum laudes amplificandas; quibus

Digitized by Google

ipſi bene uolunt, quam ſagaces atque acuti ad veras laudum cauſas inueſtigandas & dignoſcendas: Maffæus igitur prædicatorum talium inſolentiam vel inſcientiam ita coercebat: VIR iſte, quem tantopere mihi laudatis, magnam rem fecit ſi doctus eſt. doctus, inquam, non ad formam melioris ſæculi, quo non aſpirat noſtra imbecillitas: ſed ſaltem ad exemplum eorum, qui non longo interuallo poſt floruerunt, vt ex gentilibus Plinij, Suetonij, Symmachi, Claudiani; ex noſtris autem Cyprianus, Lactantius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & multi latinorum, plures græcorum. ſedenim vt vobis credam, quattuor tantum verſiculos proferte, quos conferam cum antiquis. Triũ pagina digitorum ſi mihi oſtendatur, feram facile de hominis doctrina ſententiam. quamdiu autem intra colloquium res manſerit, nec ad calamum tranſierit, quid certi pronunciem non habeo.

Hęc Maffęus. a quo fateor, me non ſemel eſſe auſum diſſentire: quoad tandem res coegit deponere pertinaciam, & manibus pedibuſq; in Præceptoris tranſire ſententiam. Profecto namque ita comperi rem eſſe, vt Maffæus volebat. experimenta hunc a me ſenſum atque aſſenſum extorſerunt. Fui ſæpe in conuentu hominum, de varijs rerum generibus diſputantium facete, ſubtiliter, abundanter, vt mihi videbatur, etiam erudite. quorum poſtea libros in lucem editos, & mandatas

litteris

Digitized by Google

litteris cogitationes cum legiſſem, mecumq; attentius expendiſſem: vah quam facile, quã ſubito animaduerti, me ſcilicet fuiſſe deceptum! Et quantum etiam inſignium vitiorum vox occultaſſet, quæ ſtylus aperte prodebat! Hoc mihi credat experto beneuolus lector velim: multos in numero doctiſsimorum haberi potuiſſe, ſi nihil vnquam ſcripſiſſent: ex quo autem ſcribere cœperunt, amiſiſse famam eruditionis inter eruditos. Itaq; ſi quam ad rem exoptanda nobis ſunt conſilia ſapientium & ſcientium, in his maxime neceſſaria eſse arbitror, quę palam mittuntur in litteras, nec niſi ſuſpenſo gradu, & pede lento ad vulgandum deſcendere oportere.

Contra tamen ſentiebat poetaſter, indoctior quam inſulſior. Hic carminum multas chiliadas edidit, editque in dies. monitus autem non ſemel a peritiſsimis, vt ſaltem pauciora ſcriberet, ſi meliora non poſset: Ego, inquit, contrarium mihi cenſeo faciundum. vt enim meam non diffitear inſcitiam ſcribendi; hoc certe ſcio & comperi, quod vos arbitror non negabitis, pauciſsimos eſse ſimiles veſtri, homines eruditos; numerum autem indoctorum, hoc eſt mei ſimilium eſſe quam maximum. Quamobrem non eſt cauſa, cur me a ſcribendo deterreatis, cum me intelligam, vobis pauculis nauſeam facere, ceteris autem longe plurimis ſiue indoctis, ſiue mediocriter doctis, a quibus ea cenſeri non poſsunt; legi, probari, æſtima-

Digitized by Google

ri. habeat ſibi, qui placere ſe ſtudet bonis potius, quam multis. Stultum prorſus ac fatuum conſilium. ſed illud tamen multi hodie ſequuntur & probant. An vero exiſtimant; qui male ſcribunt, ſe optime ſcribere, ac placere etiam doctiſsimis? hoc non dubie verum eſt. ceterum inuideri ſibi arbitrantur, dum monentur. Sed parco plura ſcribere aduerſus homines minus doctos, vt parcam mihi qui de illis: at non de illis tamen, qui ſe doctos eſse opinantur.

In eiuſdem Iacobi Philippi Spadæ doctoratum.

Bellum Spada fremis: bellũ tua ſigna loquũtur.
Dic mihi, cur poſito cingeris enſe toga?

Ad Eundem.

Legibus armatus cũ ſis, decoratus & armis:
Et belli, & pacis tempore, Spada vales.

M. ANTONIVS BONCIARIVS AVGVSTINO ANGELELLO. S. D.

LIBROS rerum memorabilium, quibus pro Andropædia titulum indidi, Hexameron, ſiue Illuſtrium Exemplorum decades duodecim, non eſt cur hoc tempore a nobis expectes. multa impediunt, quæ præuortere, ac foras dare neceſſum eſt. Rhetoricam in primis, & Concionum neſcio quid, eo faciens, quæ habebam in manibus. Miſi ergo ſtatim, quæ requiris poſt Seraphidem, Exépla de duobus aucupibus Peruſino, & Calatino. ea tibi complacita ſcribis fuiſſe ab indiculo capitum libri primi, quem Camillus tibi legendum dedit. quod ſi mihi permiſiſſes, & rem mei arbitrij eſſe voluiſſes; haud dubie miſiſſem aliquid iucundius, certe breuius, compreſſius, & minus indignum auribus eruditis. habe igitur, quod optaſti: damnaturus (ſi non placebit) conſilium tuum; at laudaturus obſequium meum. Vale.

Nobilis

Digitized by Google

NOBILIS VIRI CASTA GENEROSITAS.

Exemplum ſecundum Decadis primæ.

ANNI ſunt circiter quadringenti, tum cum Auguſtam Peruſiam, diu exactis popularibus, nobilitas moderate, liberaliter ac prudenter adminiſtrabat: inter cetera tẽperati, & abſtinentis animi documenta, hoc in longum fulſiſſe teſtis admodum locuples narrabat Alfanus. quod temporum iniuria, & ſcriptorum inuidia latitans, ac prope fugiens, reuocandum nobis eſt prodendumq; ad gloriam, ad exemplum. Illuſtre per tempus illud Peruſiæ fuit genus & familia Barſiorum, ex qua ortum colimus, & Vrbi Prę-ſidem cum ceteris adoptauimus S. Conſtantium. In ea vir fuit ætate, gratia, opibus inſignis: Huguccionem ciues appellabant: ille Hugo dici malebat. Hic nobilem matronam egregia forma,& omnibus animi dotibus præſtantem, nomine Blancam, ſic infeliciter amabat, vt perpetuo ipſo decem annorum obſequio, & ingenti diſpendio pecuniarum, quas profundere amatores ſolent, in ſe ornandis, & domeſtica ſuarum amicarum familia demerenda; tamen vnum re-

dimere

dimere non potuerit, aut riſum ſpei aliquid ſpondentem, aut ſuauem aſſenſum oculorũ, aut denique oris habitum lætiorem. decimo tandem anno ſub æſtatis initium, cum femina virum ſuum ſecuta illuſtrem equitem de Roggerijs, in rus amœniſſimum ſuburbanum ſe contuliſſet; Barſius non procul ab ea villa profectus aucupatum, falcone ad capturam dimiſſo, circum agros & ſubiectam planiciem molliter equitabat. forte accipiter, quem auicula captabundum fefellerat, in Roggierianos ſe hortulos recepit, & in arbuſcula ſub ipſis Blancæ oculis, quæ cum marito de ſpecula celſiore ſpectabat aucupium, conſedit gemebundus. vt ego arbitror, redire ad Dominum non audebat inglorius; & fortaſſe iram hominis metuens, eo potiſsimum refugerat, oratum auxilium. Hugo per puerum a Roggerio impetrat, vt ſe in hortum ingredi patiatur, & accipitre in poteſtatem redacto, actis comiter gratijs, perrexit ad villam, quam vltra eum locum tria paſſuum millia diſtantem incolebat. eo digreſſo, Roggerius cum vxore in hunc ſermonem ingreſſus, homo minime ſuſpicioſus & femineæ leuitatis ignarus, cœpit Barſium laudare tã effuſe, tam vehementer, vt vxoris conſtantia diu ſecum luctata, ceſſerit tandem, & vltro eum hominem amare cœperit, cuius preces lacrymaſque contempſerat. ergo poſt triduum marito peregre profecto, nec redituro ad dies pauculos, impatiens noui amoris & flammę

flammæ mulier per ancillam expertę fidei nunciat amatori, vt ad certam noctis horam præſto ſit in pomario, qua tutiſſimus in ædes aditus patebat.

Mirari Barſius hanc tantam, tam inopinatam, & tam diu fruſtra ſperatam fortunæ indulgentiam: gratulari ſuæ conſtantiæ in amando, nec parui æſtimare victoriam, quã ſibi decennalis obſidendi labor peperiſſet: etiam accipitri ſuo bene velle, qui tamquam deprecator acceſsiſſet ad dominam, & de arbuſcula lætum ſuo hero fleſſet augurium. venit igitur ad deſtinatum mutuis voluptatibus locum, nocte vna tot annorum incommoda penſaturus. cumque a femina ſtatim inuitaretur ad vltimas, & nimium maturas Veneris fruges capiendas, decumbere hominem lectulo iubet, in quo prius ipſa decubuerat. nec cunctatur obſequi Barſius: & depoſito pallio, ſedens ceteras ſibi veſtes detrahere feſtinabat. ſed inter exuendum id homini accidebat, quod præpropere properantibus contingere ſolet. quanto celerius expedire ſe conatur, tanto magis implicatur identidem: vnum nodũ relaxat, & tres quattuor adſtringit imprudens. itaque moram trahit longiorem, quam cupiebat, & cupiebatur. Interea duæ ingentes perturbationes animum hominis occupauerant, & æquis inter ſe viribus contendebant, vtri prius explendi ſui facultas daretur, Voluptas & Admiratio. nec dubium, quin longe præferenda voluptas fue-

rit,

ſit ſi continuo res peragi potuiſſet. ceterum mora perficiundi poſtpoſuit voluptatem, & fecit admirationis cauſam meliorem. hoc magis, quod de illa nihil detrahi videbatur, admiratione prælata: potius ſecuriorem ac ſuauiorem fruendi copiam putabat futuram, ſi prius aduerſaria pelleretur ex animo. nec id quidem iniuria. quoniam cor vrit admiratio rerum inſperatarum, & quieſcere dubiam mentem non permittit. Quamobrem mox cubiturus, Rogo te, inquit, mea Domina, vt hunc mihi ſcrupulum eximas, qui non nihil afficit animum, nec ſinit ad plenum frui benignitate & indulgentia tua. Quænam hodie ratio te impulit ad me vltro arceſſendum, quem contempſiſti, & eluſiſti tam diu? fac ſciam, cui rei hanc noctem tam exoptatam, tam inſperatam referre debeam acceptam; & priuſquam beas me, dic age cauſam beandi. Tum illa, Occupaſti petere, inquit, quod ego dicere geſtiebam: & cubanti prius dixiſſem, quam hæſiſſem. Meus vir, inquit, tertio ab hinc die, cum te aucupantem de feneſtra conſpeximus, tam multa & tam mira de tuis laudibus prædicabat, vt negaret eſſe alterum in Peruſina nobilitate, qui tecum in omni virtutum & morum genere conferri poſſet. Quæ tam ampla mariti laudatio, quaſi fax Cupidinea, nouā flammā in hoc pectore accendit, a qua gelu partim conſumpto, partim in lacrymas reſoluto, tota illico exarſi in amorem tui. & videbatur veniam

veniam amandi dare, qui dabat cauſam. Commotum eſt generoſi animi pectus ad hăc narrationem, & magis illum mariti ſincera laus, quam vxoris nouus amor delectabat. Itaq; moram nullam interponens, e lecto proſilit, quem iam intrarat: & Heu heu inquit, quantum flagitium admiſſurus fui infelix! virum optimum & mei ſic amantem, immortaliter lædere præſumpſi, pariter impius, pater ingratus. Ego ne tantum facinus, non dicam aggredi, ſed concipere animo potui, vt thalamum eius violare auderem, pro quo debui, ſi opus foret, vitam profundere? Ah magni Cœlites non ſinant, vt ſpem fallam de me ſuſceptam, & pro inſigni laudatione, inſignem referam contumeliam. nec dictum res morata. veſtes reſumit æque properanter, ſed facilius atque felicius quam depoſuerat, & doloris pœnitentięq; ſtimulis concitatus, qua intrarat, erupit, ſeſeq; ab omni fœditate purum integrumq; ſeruauit.

Crediderim ad tale ſpectaculum gratulatos riſiſſe Angelos circa ſtantes, & micantia cœlo ſidera, ſolito amplius effulſiſſe, vt via pateret illuſtrior triumphanti. Contra ſpiritus ille nequiſsimus, qui fœdos vtrinque ignes accenderat, & ratus continenter arſuros, facem alio conuerterat otioſus: tum credo accuſabat negligentiam & feſtinationem ſuam, qui abire properaſſet, nec luctam expectaſſet amantum. ſed idem Plutoni facile ſe purgabit, ſi hoc tantum dixerit: Iam pri-

dem

dem Hippolytos & Ioſephos habere mundus deſierat. quis putaſſet, non ſatis ſuperq; ad victoriam fore, quod paraueram? Summum in hoc genere votum eſt, ſi ſimul ſunt, & tuto ſunt, qui amantur: maiorem a nobis operam nec tu requiris, nec præſtare ipſi poſſumus, ſi requiras. Tametſi mendaciſſimus eſt, nunc vera dicere Aſmodeus videtur. nam ſi putum panem eſurienti, & puram vndam ſitienti porrigere ſatis eſt; quis hunc cenſeat recuſaturum lautiſsimas epulas, & vinum Lesbium aut falernum?

BLASPHEMI AVCVPIS HORRENDVM SVPPLICIVM.

Exemplum primum, Decadis ſecundæ.

FVIT homo menſes aliquot apud Gryphonem & Carolum Balionios fratres in magna gratia, propter mirificam aucupij peritiam & ſagacitatem; cum eſſet alioqui tantorum virorum conturbernio,& conſuetudine indigniſsimus, propter nefariam atq; ſacrilegam dicacitatem. Horreſco ſcribere, quæ de blaſphemijs & maledictis impuriſsimi hominis referuntur. nemo erat illi tam præſens atque amicum Numen, in quod procaciter inuehi non ſoleret. Beatos Viros memorabat memoriter, & ſingulis propria conuicia

nicia gaudebat inurere : vt videretur in hunc vſum catalogos edidiciſſe Sanctorum, quo maiorem haberet copiam execrandi,& identidem noua formula imprecationis occurreret. Hinc illi cognomen Miſotheo fuit,quod paulatim in nomen tranſijt, vt vitium tranſierat in naturam.hāc propter cauſam extruſerant illum domo Principes Balionij,paucis ante diebus, quam hoc illi obtingeret,quod iam exequar.

Exierat homo cum amiculis, & vno tantum vel altero puero aucupatum, circa Idus Octobres, in vallem minime præruptam aut ſilueſtrem : cumq; accipitrem prædandi auidum emiſiſſet in turdulos : illi commodum ſeſe ſubducunt, & celeri flexu hoſtem fallunt. ſpe fruſtratus accipiter, quaſi ad dominum reuertere inanis non auderet, ſtudio delendæ ignominiæ,proceſsit lōgius,& alias ſubinde aues ſollicitabat captabūdus. illum Miſotheus elatis in ſublime oculis, pedes ſequebatur : & auem quidem omni blanditiarum genere compellabat,in cęlum vero atrocia & nefanda iactabat conuicia;cum repente decurrens labitur in puteum, arentem illum quidem, ideoq; non margine vllo, nec ora munitum, quę ruenti poſſet opponi : ceterum bufonibus, ceraſtis, alijſq; ſerpentibus refertum. Inclamat miſer pueros, amicos, colonos, ſi qui in proximo : Cœlites etiam, & B.VIRGINEM aduocat, ſero pœnitens iniuriarum & execrationum,quas merito

rito

rito ait in ſuum caput recidiſſe. puer vnus non longuſe aberat: caſum tamen non viderat, ſed vocem & queſtum hauſerat. Vocat igitur comites & agreſtes ad ferendam opem domino laboranti, quem ille tamen vbi eſſet, aut quid quereretur, ignorabat. os quippe putei rubis ac vepribus obſtructum, rem occultabat, & collis circa horridus incultuſque, denſis virgultis atq; iuniperis, omnem prope ademerat peruestigandi facultatem. iam comites agreſteſque conuenerant, ſed herum fruſtra oculis requirebant. mox repetiti queſtus & eiulatus aures verberant, locũ indicant, & caſum docent. Extemplo funes, perticæ, aliaq; ad extrahendum machinamẽta properari: partim vepres & virgulta ſuccidere, locumq; expedire: partim quærere & conuocare adiutores ad rem moliendam: non nulli ex alto conſolari vociferantem impatientius; iubere ad Dominum vota facere, totum ſe diuino præſidio miſericordięque permittere; mox ſaluum atque incolumem extractum iri. Iam & multa colonorum turba confluxerat, & pro ſua quiſque copia rem adiuuabat. Forte fortuna ilex annoſa & valida, circiter quinos aut ſenos pedes a puteo aberat, robuſtis ramis, quaſi bracchijs intranſuerſum ita protentis, vt non natura, ſed de induſtria comparati eſſe viderentur ad partem ponderis ſubeundam. his igitur crediti funes demittuntur in puteum, ad quos impigre applicat ſe Miſotheus, hortaturq; commilitones

militones infimis precibus , & pollicitationibus , & obteſtationibus , ad ſe celeriter ac ſtrenue ſuſtollendum . illi cum fidelibus ramis onere communicato , per eorum terga ſtridentia funem reducunt , ſibiq; inuicem gratulantur , quod feliciter procedere opus videbatur . & certe procedebat : eccum ipsũ ſublime, ad marginem prope putei renatum Miſotheum . ſed (heu miſerum horrendumq; ſpetaculum!)tot vndique ſerpentibus implicatum , cruentum , lacerum , vt perterriti agreſtes , qui ſubſidio venerant , alius alio fugam arriperent , & vix pauci de comitibus reſiſtere auderent,qui coniunctis viribus funem trahebant . Fatum Laocoontis in mentem venit , cum recogito . nam hunc quoq; (vt referunt) iam iam exiturum immanes duo angues ,

——— ſuffecti ſanguine & igni,
Sibila lābentes linguis vibrantibus ora,
Corripiūt,ſpiriſq;ligant ingentibus:& iā,
Bis mediū amplexi,bis collo ſquamea circū
Terga dati,ſuperāt capite et ceruicib⁹ altis
Ille ſimul manibns tendit diuellere nodos,
Perfuſus ſanie veſtes atroq; veneno ,
Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit .

Nihilominus fidi comites prompte atque alacriter operi incumbebant , cum de improuiſo repentes per funem angues , trahentium nudas manus petebant . tum vero nihil propemodum abfuit , quin ab incepto deſiſterēt, funemq; deſererent . ſed vicit formidinem

miſeri-

Digitized by Google

miſericordia; tantum rogant villicum, eius incolam regionis, qui falcem domo extulerat, ad ſepem ruboſque dudum runcandos, vt propinquum manibus ſerpentem feriat abigatque. Ille non auſus prope accedere, falcatum ſparum alte ſublatum, totis viribus in ſerpentem funibus implicitum librat. ſed angue ictum declinante (o rem miſeram, o acerbum fatum!) funis ipſe reciditur, & infelix Miſotheus præceps relabitur in profundum. Biduo poſt, Decurionum iuſſu loco expurgato, & exuſtis fugatiſq; ſerpentibus, exeſo corpore, nuda oſſa reperta ſunt. Incredibile eſt quantum ea res terrorem omnibus circa oppidis pagiſque incuſſerit: maxime autem exterrefecit Sabinates, Paſſinianenſes, alioſque Thraſymeni accolas; concionatoribus vltro admonentibus, illorum in primis cauſa, tantum extitiſſe prodigiũ. Miſer ſupra omnes miſeros Calatinus, qui viuens colubros & deterrima beſtiarum ſuis carnibus ſaturauit: ſed eo mihi miſerior eſt viſus, quod in ſpem prope certam ſalutis emerſerat, minus miſere periturus, ſi protinus deſperaſſet. nunc crudelem cum illo ludum luſit fortuna, quem ideo paulum erexit, vt lapſu grauiore concuteret. Sic auxilia conuerſa ſunt in tormenta, & ſpes viuendi in rabiem moriendi. minus fortaſſe truculenta mors erat futura, ſi ad vitam regredi neglexiſſet: certe infamiam, hoc eſt mortem ſecundam vitare potuit per ſilentium.

Digitized by Google

tium. Sed nimirum ita oportuit, ita æquũ fuit; vt ſcelere tam infando damnatus, haud ſimplici mortis genere mulctaretur; & qui conatus erat diuinam iuſtitiam verbo ſubuertere, confirmaret exemplo.

EN habes Angelelle, quod a me requirebas: nunc accipe quod a Camillo. te pariter rogamus; ille vt excuſes, quia rudius fecit; ego ne accuſes, quia non limaui. Debes vtrũque: cum vtrumque noſtrum facultas defecerit, illum ingenij, me temporis; neutrum volũtas. Quem laudamus, is adeſto, tibi nobiſq;.

DE B. SILVESTRO AVXIMATE, Cuius corpus quieſcit apud Fabrianum.

Mænibus incluſiſſe vagos laudatur agreſtes
Orpheus, arguto dum ferit vngue chelim.
Ad rigidum molles reuocat Silueſter heremũ,
Cæleſtes acri dum tonat ore minas.
Laude prior magna dignus, maiore ſecundus:
Nam fuit hic grauior, quam fuit ille labor.
Ille ad delicias turbam compellit egentum,
Iſte locupletum, linquere delicias.

COMITI

COMITI PHILIPPO GABRIELIO.

FLAMINIVS DE BISCACCIANTIBVS

Romam.

QVOD ſcribis, veriſsimum eſt; & quod petis, æquiſſimum. Communi Magiſtro intimus iam diu ſum a lectione, a ſcriptione, a ſecretis: denique in tuum penitus ſucceſſi locum. tamen ægre admodum ab illo impetraui, me vt ſineret hanc mittere ad te Hiſtoriam Neapolitanam, ſic cupientem, ſic petentem. Eam vero, inquit, cum retulerim inter Exempla illuſtrium virorum& feminarum,quę in ſuas decadas tributa, & vnũ in volumen congeſta edere cogitamus; non par arbitror, diſcerpere opus, & perire in partibus eam voluptatem, & eum fructum, quem perfecta res pollicetur. Longum nimis fecerim, ſi referre aggrediar,quę inter nos dicta, reſponſa, obiecta, reiecta

D & diſ-

& diſſerta inuicem fuere. tibi ſatis eſt ea ſcire, quæ ſunt concluſa. Leges igitur primum ipſe Hiſtoriam accuratius, deinde ſuppreſſo Auctoris nomine, dabis cuipiam ad legendum viro eruditiſsimo, & rerum talium perito æſtimatori, quorũ copia in Vrbe tibi ſuppeditat. denique nõ ſolum de hoc ſcripto, ſed etiam de hoc toto genere ſcribendi, quid tu ſentias, quid illi iudicent, ſcribes libere, fideliter, abundanter: hanc nimirum abs te, tuique ſimilibus mercedem Magiſter repoſcit præproperæ lectionis Opuſculorum ſuorum. quod mihi quidem graue non videtur, ſi rem eximiam & maxime optabilem ſic emas, vt tu fruaris ipſe, pretium ſoluas de alieno. Fac valeas. Peruſiæ ex Collegio S. Bernardi.

LEPIDVM IVVENIS commentum tuendę caſtitatis.

Exemplum tertium.

NArrat in ſuo exemplorũ Speculo Henricus, fuiſſe Neapoli virũ omnibus naturę atq; fortunæ bonis ornatũ, qui ſimillimã ſui feminam in matrimonio habebat, tanta ſecum charitate ac mutuo cordis affectu coniunctam, vt Penelopas Lucretiaſque anteire non immerito putaretur. Accidit autẽ ſub tertium coniugij annũ, vt marito longiſsimũ

iter,

iter, voti cauſa ſuſcipiendum foret ad ſanctam vſque ciuitatem, & ſepulchrum Domini viſitandum. lectis igitur comitibus, paratoque inſtrumento viatorio, iam iam daturus ſe in viam, & mox nauim conſcenſurus, ita Cõiugem ſolus ſolam alloquitur. ME, vt vides, ad longinquam peregrinationem religio cogit, comites hortantur, & tempeſtas inuitat. ceterum corpore tantum a domeſticis laribus ſeiungar, animo ſemper tecum, & cum paruis liberis ſum futurus. Te obſecro & obteſtor per eum Dominum, qui nos coniunxit, ad cuius adoranda veſtigia me confero, primum vt te mihi talem præſtes, qualem data fides, & generis claritas, & meus in te amor poſtulat; deinde vt communia pignora, & rem domeſticam, & familiam vniuerſam non aliter gubernes, me abſente, quam conſueſti, dum præſens fui. poſtremo vt crebras ad Cœlum offeras preces pro noſtra ſimul adeundi, ſimul redeundi proſperitate, celeritate, ſalute. Femina ſingultibus & lacrymis ſermonem rumpẽtibus, polliceri facturam omni tempore, quod fides, quod honeſtas, quod amor & pietas cogeret. ſub hæc monere amanter & anxie virum, vt caute iter faceret, cautius nauigaret, deniq; cum Domino iret, rediret feliciter.

Nec ſane dixit conſtantius quam fecit. ſiquidem marito commodum digreſſo, cum iuuenes clari & nobiles; ſuæ pudicitiæ inſidias tenderent, & omnes ad expugnandum ma-

Digitized by Google

chinas adhiberent, ſingulos aut repulit, aut eluſit; vt quantum pulchritudo eius amorem cupidinemq; exciuerat, tantam grauitas honeſtaſq; induceret venerationem. ſed nimirum illud veriſsimum eſt, quod ſanctiſſimi auctores tradiderunt, & multorum infelicia exempla confirmant: QVI malus Genius caſtitati bellum infert, eamq; fortibus machinis expugnare contendit, hunc ſi mens generoſior, cæleſtibus munita præſidijs repellit atque in fugam conuertit, facile poſt capitur per inſidias, niſi cauet. hoſtis enim ſuis diffidens viribus, ad ſuperbiam ſcelerum reginam ſe confert, rogatum auxilium; vnde olim traxit exitium. illa filias mittit, Præſumptionem, Securitatem, Negligentiam: quibus pugnæ ſuccedentibus, & victorem mulieris animum inſtantibus: audite quantum in diſcrimen Caſtitas venerit, & quam prope ſubuerſa fuerit. Matrona igitur hac ſollicitudine liberata, cum ſe in perpetuum eiuſmodi curis vacuam fore conſideret, ſecurius deinceps miniſtrare inſtituit rem domeſticã & ſuam: cum mariti procuratoribus, aut propinquis, aut amicis liberius agere quam ſoleret: frequentare ſacras Aedes, obire Virginum monaſteria, miſcere cum vicinis iucunda colloquia, nec adeo formidare vti antea, proſpectus feneſtrarum, quæ foro vijſq; publicis imminebant. ab hac licentia ortũ eſt periculum, quod mox dicam, prodendæ fidei, & pudoris violandi. Cum enim de

ſpecula

ſpecula curioſos deorſum oculos verteret, incurrit forte in os iuuenis prætereuntis tam elegans, tam modeſtum, & tam flexanimum, vt dum incauta cupidius contemplatur, eius amore ac deſiderio ſe ſēſerit eſſe correptam. cœpit ergo ſagaciter odorari, & inueſtigare quiſnam eſſet. atque vbi comperit inſignem illum eſſe Iuris Conſultum, qui clariſsimas Italię vrbes Proprætor adminiſtrauerat, anteà ſibi de fama, ſed hodie primum de facie cognitum; lenta ſecū deliberat, ecquam rationē hominis conueniendi fruēdiq; inire poſſet. Denique ſuum conſilium nemini aperiens; mittit ad iuuenem, vt eo die ſub veſperum a foro rediens, non grauaretur diuertere ad ſe domum: marito abſente, litem aduerſum ſe ortam eſſe magnam & impeditam, de qua ſtatim communicare cum illo cupiat: ſperare ſe atque cōfidere, vt eius ope, conſilio, ſtudio facillime decidatur. Iureconſultus, vt erat non ſolum ſcientię, verum etiam humanitatis & officij pleniſsimus, ad prędictam ſibi horam præſto fuit. mulier illum lætabunda excipiens, prope ſedentem conſedit. ac primo quidem inſolens amandi, & rudis talium deliciarum, perplexe, incōſtanter, & conciſe narrabat fabulam. nec ſe ſatis expediebat infelix, quid vellet, & cuia gratia hominem curaſſet arceſsi. ceterum quod lingua exequi non poterat, frons, oculi, totus denique oris habitus loquebatur. lingua etiā affectum cordis titubando confirmat, & ma-

Digitized by Google

gis explicat, dum inuoluit. Iuuenis modeſte oculos in terram defixerat, & confeſſionem magis apertam velle exprimere videbatur: inſolens ille quoque, aut diſsimulans amoris timide prodeuntis, & cum ingenuo pudore certantis. ad extremum mulier, verecundia valere iuſſa, frenum laxat cupiditati, & nihil vſa circuitionibus: Amo, inquit, impatiens: & te rogo ſupplex auxilium, moritura, ſi negaueris.

Tunc Iuuenis vultu hilari, ac ridentibus oculis feminam intuens: Ago inquit, tibi gratias immortales, & me ſupra ceteros fortunatum dicere audeo, quem nihil meritum pulcherrima, & ſplendidis orta natalibus mulier, vltro ſibi amandum putauerit. quam ego benignitatem indulgentiamq; erga me quam optime intelligo, & libentiſsime accipio; tam peſsime odi fortunam meam, quę me nunc quidem non patitur tanta frui felicitate, ac ſtatim mutuis obſequi deſiderijs. Hoc enim ſcire habes Domina, quod cum ingenti ægritudine recordor & memoro. Superiore anno, cum Bononiæ cauſam viri primarij longe difficillimam; ſed æque bonam, atque honeſtam tuerer; aduerſarij clientis mei pariter nobiles & factioſi, tres quattuor, diſtrictis gladijs, in me ſubito incurrerunt, perueſperi ad hoſpitium e foro redeuntem. Sine comite, ſine telo, nihil ſuſpicans aut metuens mali, facile vincor, multiſq; foſſus vulneribus, inter quæ duo lethalia fuere,

domum

Digitized by Google

domum ad cliẽtem meum deferor ſemiuiuus. Medici me intra ſeptimum diem haud dubie moriturum denunciant. curatis igitur, quæ ad ſalutem animæ pertinebant; hoc Votum voui Deiparæ Virgini Annunciatæ, cui ſacer ille dies fuit, Si periculum imminens euaderem, & Neapolim incolumis redirem, vt me ſex menſium continuata & caſta inedia macerarem, nec interim guſtarem aliud, quã purum panem, & puram frigidam. Res Superum benignitate feliciter ſucceſsit: domũ ad penates meos bene ſanus, & bene validus me recepi: nec vlla interpoſita mora, longum inchoaui ieiunium, cuius ad hunc diem quatuor elapſi ſunt menſes, a me fortiter tolerati. nunc duo tantum ſuperſunt, qui vbi pariter exierint, ſcito me in tua futurum poteſtate.

Ingemuit cupida mulier ad tantam moram: eo magis, quod ſuſpicabatur facile fore, vt voluptatem longius dilatam mariti reditus prænorteret, & fortaſſis impediret: certe tardaret, redderetque adeptu perdifficilem. Sed non auſa tam pium, & tam honeſtum amantis propoſitum reprehendere, dolens querebatur fortunam ſuam. mox iterum illi Iureconſultus: Habeo, inquit, ſi hoc longũ nimis uidetur, certum modum dimidiandi & breuiandi. Votum ita concepi, vt poſſem cum altero partiri, ſi quis mecum abſtinere vellet, & partem mei oneris in ſe recipere. Non tulit vlterius loquentem mulier, & in-

 terpellans;

terpellans: Ego, inquit, ſubibo libens: nec me labor iſte grauabit, qui ſimul minuet moleſtiam tuam diuidendo, ſimul augebit lætitiam meam, celerando. Rebus ita compoſitis, & bimenſtri ieiunio ad menſtruum redacto, mulier bona fide abſtinebat, nullo veſcēs obſonio, vinum non guſtans, & ſemel eſitās quotidie. at non diu talem inediam pati potuit delicata & nobilis matrona, quantumuis roboris libido & ſpes darent. vix quatriduum durauerat, cum implicita difficili morbo, & ſibi ipſa diſplicens, mori exoptabat. quo in mœrore cum ſe ad Chriſtum Dominum conuertiſſet, ac ſanctiſsimæ Virginis patrocinium imploraſſet, pertęſa ingentis flagitij, quod intenderat; ita ſecum lamentabatur. O me atrocibus atque perpetuis dignam ſupplicijs! quæ omnibus bonorum copijs ſuperfluens, tam indignam & tam ingratam reddere gratiam moliebar. infelicem conatum, & contra omnem naturę ordinem a me ſuſceptum! ſiquidem inediæ, macerationes & alia corporis afflictamenta, cur a mortalibus obeuntur, niſi vt temperantiam diſcant, & ſe Domino caſtos exhibeant? ego mortalium miſerrima ideo me ſic excrucio, vt libidini ſeruiam, & pudicitiam contaminem. Infelix peregrina, ſi quę ad virtutem via proponitur, ea ego præceps rapior ad flagitium. fœdus eſt traiectus, ſed tamen ordinarius per epulas ad luxuriam; meus eſt ad hanc diem inauditus per abſtinentiam.

credo

credo, parum erat ad caſtra incontinentiæ tranſitum facere, niſi comite ac duce vterer continentia. nec decebat feminam illuſtrem peccare vulgariter: per inediam molita ſum adulterium, hoc eſt ad pudicitiam expugnãdam ipſis pudicitiæ armis abuſa. ſcelus duplex quia tentaui, quia ſic tentaui.

Quibus querelis cum forte ſagax ille ac pudicus iuuenis ſuperueniſſet, mulier ſimul macie confecta, ſimul pudore confuſa, & acutis pœnitentię ſtimulis ſubacta, primum ab illo veniam meditati facinoris ſupplex petit, deinde agit immenſas gratias, quod admodum idoneo & ſalubri remedio ſuam cupidinem refrenaſſet, ſiue vera illa eſſent, ſiue non vera, quæ nunciauerat de votiuo ieiunio. Ille mitiſsimis verbis mulierem conſolatus: De meo, inquit, periculo, & de acceptis vulneribus nihil mentitus ſum: ac ne de voto quidem affinxi quippiam præter tempus. dixi enim quotidianum fuiſſe meum ieiunium, quod tantum fuit hebdomadarium: nec niſi ſingulis ſabbathis a vino & obſonijs ex voto abſtinebam. nunc Deo ſimul gratias agamus, quod tum mihi tam ſalutarem ambobus dolum inſpirauerit. tu vero quod ſuſpicaris, adeſſe tibi ſupremum mortis diem; grauiter erras. quamquam enim per inediam tam inſolitã prope cõſumpta & cõfecta tibi videris: tamẽ hoc ſcito, ſi te dapibus & vino paulatim refoueris, hoc biduo eſſe intellecturam, quẽadmodum eadem medicina non ſolum ani-

mo ſalutem, ſed etiam corpori robur & vires tulerit. atque ita penitus eſt factum. quare mulier ad optimam & iam duplicem ſanitatem reuerſa, hunc deinceps morem inſtituit, & tota vita conſtanter retinuit; vt per ſingulas hebdomadas vnum diem ieiunio aſperiore tranſigeret id quod ſimul ſtomachũ inſtaurabat poſt ſex dierum defatigationem, ſimul animæ proderat ob peccati recordationem.

M. ANTO-

M. ANTONII
BONCIARII

Ad FRANCISCVM PETROLINVM.

Officioſa Denunciatio, circa infrequentiam ſcribendi poſt hunc diem latinas Epiſtolas ad amicos, ad Dynaſtas.

Patauium.

EXPOSTVLAS mecum, quod ad quaternas, ſiue (vt reris) quinas ſenaſue litteras, diuerſis ad me tẽporibus miſſas, aut nihil reſcripſerim, aut etruſce reſcripſerim, non latine vt ſoleam ad ceteros, & par etiam eſſe videatur ad latine prouocãtem. primum noli excandeſcere amplius, & in nos inuehi acerbius; ecce nunc tandem epiſtolam latinam, eamq; ſic vberem, ſic loquacem (modo aliquid non interpellet dictantem) vt poſſit vna eſſe multarum inſtar tuarum. ex quo effectum iri animaduerto,

Digitized by Google

non ſolum vt diſſoluam ipſe conflatum debitum latinæ ſcriptionis, ſed etiam vt tu vltra debeas mihi aliquid pro acceptis Etruſcis. verum ego tam ſeuerus officiorum exactor nõ ſum: feciſſe paria ſi videbor, & partes tecum æquales referre; ſatis habeam, nec aliquid requiram amplius.

Age igitur (vt reſponſum faciam fortaſſe prolixius, quam ego promiſerim, quam tu expectes) quænam ratio interceſsit, vt meũ officium aut penitus defecerit, cum aliquando nihil reſcripſerim, aut certe ſic relãguerit, vt maluerim vulgariter ad latinas? Primum quidem hoc ſcire habes, me ab aliquot menſibus non ſolum aduerſus te, ſed cum alijs plane omnibus eandem vſurpare licentiam: vt ſi quando iniuria hæc ſit, quod vtique nõ conceſſerim, haud liceat tibi propriam putare, cum ſit communis omnium amicorum. de quibus tamen nemo vnus fuit, qui mecum hoc nominẽ tam vehementer queri auſus fuerit, quam tu facis, ad hanc diem. Hoc vero, inquies, modeſtiam & patientiam indicat illorum, non vel meum factum redarguit, vel defendit tuum. Eſto id quidem ſicut vis: nam mihi hoc ſatis eſt in præſentia, ſi oſtendero, tecum me vt cum ceteris agere ſolitum, nec quicquam admiſiſſe præcipuum, quod tu præcipue dolere debeas. hoc primum: deinde, vel potius proinde non ad te vnum, qui es queſtus, ſed ad illos etiam, qui queri poſſunt, meam volo reſponſionem eſſe directam.

Breuiter

Breuiter igitur, ſi ad vos nihil interdum reſcribo, vos eſtis accuſandi, quia nihil petitis, aut nihil ſcribitis eiuſmodi, ad quod neceſſe habeam reſpondere: ſi vero reſcribẽs, etruſco potius, quam latino ſermone vtor, ego a vobis ſum excuſãdus ob duplicem cauſam, ideſt primo propter ętatem in ſenium vergentem, quæ ab eiuſmodi officijs tanto longius recedit, quanto propius ad vitæ metam accedit: deinde propter nouas occupationes huic æuo magis conuenientes. vel dicam hoc modo breuius, Quia non poſſum, Quia nõ debeo, & audi quæſo ad vtrumq; nõ multa, ſed vera, ſimplicia, probata.

Primum dico, me hoc tempore haud poſſe amplius referre animum ad exarãdum litteras latinas; præſertim tam longas & tam frequentes, ſicut antea conſueueram: quia meditandi & ſcribendi otium deeſt. Optima inquis, ratio eſt, ſi vera eſt; ſed difficilis ad probandum. cur enim ante hoc tempus non modo adfuit otium ad reſcribendum, ſed ſuperfuit ad prouocandum? quid tibi ante annum vel nouæ occupationis acceſsit, vel priſtinæ facultatis deceſsit? imo inquies, vtrũq; pugnat aduerſum te. nam ſchola vt ſit paulo numeroſior, quam ſolebat, eſt tamen non paulo ad ferendum leuior, aſſumpto in adiumentum altero Collega: robur autem, & vires corporis haud dubie meliores hodie ſunt tibi, quam fuerint ante ipſos quindecim annos, ex quo Solem non vides. vox, vultus, color,

vigor,

vigor, & hæc tam frequens diſcurſatio per vrbem, te coarguat palam, ſi negare auſus fueris. Porro autem ſubiunges, cum ſciamus, æque breuem, ęque facilem tibi ſemper fuiſſe ſcriptionem etruſcam & latinam, imo alteram magis expeditam, magis frequentem; quid nunc ſorte commutata, horę ad hanc deſunt, ad illam abundant? Hæc tu nimirum obijcere nobis potes, amabiliſſime Petroline, quæ cum pariter obijciantur a multis, defungar ſemel iſto labore, vniſque litteris purgabo hanc maculam, redimamq; a communi calumnia ſimplicitatem atque innocentiam meam.

Dico iterum & confirmo, me non poſſe: ſpatium deeſſe. quod vbi probauero, ſimul tuis atque aliorum obiectionibus erit, arbitror, factum ſatis. Auſculta, vt poſſis etiam referre ad alios, ſi qui aut tecum queruntur, aut tu cum illis. Biennium eſt, cum intermiſſa ſub annos iuueniles, ac propemodum abiecta poſt cæcitatem, ſtudia philoſophiæ ſic recolere inſtitui, vt quantulum vacui temporis legitimus docendi labor concedit, hoc illa ſibi vindicent atque attribuant plane totum. ſcis autem, me dies ſingulos a mane ad veſperam ſic habere diſtributos, vt ſolum tempus antelucanum, ideſt horæ circiter duæ, raro amplius, meæ ſint: reliquas ad aliorum arbitrium neceſſe habeam accommodare, ac ne dieculam quidem poſsim ad

meum.

meum. de illo igitur tam optimo, quam breuiſsimo ſpatio ante lucem, ſi qua fiat detractio, ingens redit ad ſtudia detrimentum. nec enim diuidere ſatis licet puſillum, & id totum ſi auferatur, totus pariter pereat dies. quantulam vero propter rem tanta iactura? pudet dicere: propter litterulas, ſæpe vrbanis officiorum argutijs refertas: non nego: at ſæpius adulatrices, ſemper inanes, non ludicrum aliquid, atque illarum ſimile amittitur, ſed graue ſtudium de moribus caſtigandis, de naturæ arcanis indagandis, de Cęlitum & Beatorum vita contemplanda. Non poſſum igitur ad iſta humilia demittere ingenium, quin hęc deſeram grandia, ſalutaria, in quibus certum mihi ac fixum animo eſt, reliquum vitę ſpatium cōſumere vniuerſum: nempe id totum, quod dixi, eſſe penitus meum, binas ſingulorum dierum horas antelucanas. Quod ſi etiam mihi, vt ceteris non ita occupatis, contingeret interdiu laxatio aliqua, & leuamentum ſtudij grauioris; reficerem me libenter circa iſtas amœnitates, in quibus neſcio poſuerim ne, an perdiderim annos meliores. verum hoc mihi contingere prorſus non poteſt, quam diu officium & neceſsitas coget, graue onus docendi perferre, ac mercenario opere vitam propagare. Quod ſi ſaltem meis oculis, & meis manibus ad ſcribendum vti liceret; credo aliquid temporis ſuffurarer, quod Muſis redderem minus ſeueris. ſed hoc tu vides, & amici omnes

nes

Digitized by Google

nes intelligunt, nec licere in præſentia, nec fore vmquam vt liceat in poſterum. Quare parendum eſſe arbitror neceſſitati, faciendumq; animo alacri quod ſapientes monent, vt Quando id quod volumus, fieri non poteſt, velimus ipſi totum, quod poteſt, non amplius.

Expoſui opinor ſatis, quæ me cauſę a litterulis contexendis dehortantur, atque adeo cogunt melius ponere bonas horas, quanto pauciores, tanto pretij maioris. Enimuero cum ſciam tamē te hic eſſe obiecturum, quod pariter alij obiecerunt, quærentes, Quid ita poſſim ſcribere litteras etruſcas, non poſſim latinas? cum videar vobis tenere aut æqualiter vtramq; linguam, aut melius ſecundam: hoc nunc diluere conabor: ex quo etiam liquido apparebit, quod ſupra poſui, Ne ſi poſſim quidem, debere me cum abſentibus amicis latine loqui, & maiorem facere numerum Epiſtolarum. Ergo primum nego me calamo latino ſic audere, aut ſic poſſe, vt etruſco. licet hoc non diffitear, me frequentius in Latio, quam in Etruria eſſe verſatum. cauſa maioris difficultatis in vno quam in altero, hæc eſt videlicet, quam ſubiungam. Etruſce ſatis mihi ſemper fuit, atque etiam nunc eſt, rem ſimpliciter exponere atq; narrare, quoad vſque percipiatur ab eo cui ſcribitur: latine autem conatus ſemper ſum, atq; etiam nunc conor, paulo agere floridius & luculentius ſupra morem vulgarium grammaticorum.

ticorum. nempe cum populariter ſcribere habeo, ſolam ſequor ſine cuiuſquam imitatione naturam: latinæ autem ſcriptioni non fere ſoleo adhibere, niſi quas formulas, & quę verba in libris veterum ante notauerim; cum aliqua non dixerim elegantia & venuſtate, ſed ſaltem nouitate. quamobrem ſi epiſtolam latinam ſcribere inſtituo, ad quemcumq; illam tandem miſſurus ſim; neceſſe habeo me colligere, ac mecum prius loqui aliquantulum, deinde paulum intento animo dictare. feſtinantius tamen, aut properantius quam ego vellem, ac res interdū exigeret ſcribenda. oportet enim me illorum quoq; habere rationem, qui mihi operam ſuā nauant, & mea verba calamo excipiunt. Id quod quam ſit incommodum meditanti, & ornare volenti, doceat te S. Hieronymus, qui propter ſenium aliaſq; cauſas impotens ſcribendi, cōducto amanuenſe, cui nimium oneri eſſe non ſuſtinebat, culpam minus accuratę ſcriptionis reijcere ſolet in dictantis velocitatem. non iniuria: vir eiuſmodi eſt, cuius dictum reuocare in dubium nefas eſſet: & ego id ipſum non ſemel comperi expertus. at mecum tamen paulo adhuc agitur incommodius propter metum neſcio quem gloriolæ amittendæ, a quo Doctor ille ſanctiſsimus liber fuit. quonam modo inquies, propter gloriolam? aut quæ hinc tandem ſuſpicio pendet infamiæ? Dicam: cum ego ad ſcribendum, meaſque lucubrationes excipiendas, non fere,

re,

re, alios conducere ſoleam, quam meos auditores, eoſque admodum ingenuos: duplicem ob cauſam cauere me oportet, ne calamum ſcribentis retardem, ideſt primum ne ſim homini moleſtior atq; odioſior, quam deceat modeſtum præceptorem; deinde ne me parum ſcientem ſcribendi reputet, ſi reſiſto identidem, aut hereo inter dictandum. Ex quibus rationibus non facile dixerim, vtra me vrgeat vehementius, maioreſq; adigat ſtimulos ad celerandum. certe in vtraq; magnum eſt malum, ex quo tamen duplex excipio commodum, quia pluſculum additur ad velocitatem lucubrandi, & pluſculum detrahitur de faſtidio emendandi. qualia primum per linguam animus parit, talia mox dantur amanuenſi ad excipiendum, poſt typographo ad diuulgandum, nulla propemodum interpoſitione, aut litura. Sic facio equidem minus ornata, & minus culta, ſed eadẽ tamen magis facilia, magis plana; imo etiam (ſi temporis ratio habeatur) magis multa.

Sed redeo ad epiſtolas, quæ cum latine ſcribendę ſunt, eam requirunt diligentiam & mentis intentionem, de qua ſupra memoraui; cum vero exarantur italice, nihil eiuſmodi neceſſe eſt. quouis tempore, quouis loco, in ſchola, de porticu, ex triclinio, a cena; imo etiam inter cenandum do ſæpe tres, quattuor, plures continenter: interdum binos fatigo amanuenſes vna opera, vno tempore: nec me nimium impedit, aut retardat,

ſi ago

ſi ago interim aliquid, ſi ſæpius interfabulor, ſi quis obloquitur dictantem. cumq; latinarum ferme omnium prima exempla penes me in grandibus Aduerſarijs legantur, coniecta in aceruum lucubrationum, quas identidem (vt ſe occaſio fert) familiaribus pueris dictare ſoleo; quas do italice ſcriptas, ad Guarinum etiam, aut Manfredum, aut Gryllum, illæ ipſæ ſtatim mittuntur, quæ primo ſcribuntur. non puto duas decem annis meo iuſſu fuiſſe deſcriptas: paucarum exempla mei amanuenſes ſibi exceperunt, me inſciente. Dicunt aliqui (ac tu es forſitan inter illos) æque propemodum difficile cenſeri a doctis, latine ac italice ſcribere: nec maiorem hoc nomine gloriam ex Latio metere Manutios, Muretos, Sadoletos; quam ex Tuſcia Tolomæum aut Carum: quidam Bembi etruſcas iuueniles anteponunt ſenilibus latinis. Hoc ego quemadmodum nec affirmare, nec refellere ſuſtineo, viris doctis diuerſum ſentientibus; ita hoc ingenue profiteor, me hanc laudem ſcribendi etruſce, cuiuſquemodi ea foret, numquam me affectaſſe, numquam magni æſtimaſſe: ſatis ſemper habuiſſe, atque nunc etiam habere, quod ſcripſi paulo antea, ſi calamus etruſcus hanc mihi commoditatē, atq; hunc vſum præſtet; vt ſcribam dilucide, ſignificanter, & copioſe, quod res exigat aut negotium requirat; de cultu, de argutijs, de vrbanitate, hoc quidem in genere nihil admodum laborem. Eſt ergo vt iam per-

ſpicis, facillimum mihi tales effundere literas; certe nihilo difficilius, quam eiſdem de rebus loqui extempore. propterea cũ quid italice dicto, nec ſtudijs meis quicquam officitur, nec ingenium cogitando fatigatur, nec omnino perit nobis aliud, quam quantulum temporis puer excipiendo conſumit. facilis profecto, vel potius lucroſa iactura, cum ſic alijs commodatur, vt ad te nulla redeat incommoditas, cum ſic iuuatur amicus, vt ſtudium non lædatur.

Habes cur noſtrate lingua facile ſcribam, extera vero & latina, nec facile, nec libenter. Apage qui exiſtimas vel potius exiſtimare te ſimulas, me quandocunque occaſio incidat, nihil meditatum, in turba etiam & foro poſſe ſcribere epiſtolam latinam. prorſus enim nec potui vnquam, & nunc vt cum minime poſſum. Atqui ego, dices, non ſemel interfui, cum a prandio, poſcentibus amicis, dictaſti epiſtolas, carmina, orationes. quo nũc ore affirmas, te hoc nunquam potuiſſe? aut quid hodie incidit, quo minus idem conari & efficere poſſis? Audi vero nunc iam quod in hoc genere mirandum, ac vix credibile mihi contingat. ſi quid meditari & ſcribere habeam pro altero, nihil mihi, aut prope nihil obijcitur difficultatis. Muſę omni tempore, in omni loco, in omni occaſione præſto ſunt. Interroga Reatinum illum noſtrum, qui cum me ſuperioribus diebus apud forum inueniſſet implicitum litibus, & cum cauſidico

dico iurgantem; Heus Marce inquit,confice mihi verſiculos, qui Fuggeris fratribus ad Vrbem properantibus felix & fauſtum iter precentur, repenſuris haud dubie non exiguam mercedem. Mox ego, inquam, redire habeo domum negotiolo abſoluto: illuc redi ad octauam: ibi me præſtolare: dabo ſtatim ſedulam operam libenter. Ille autem, At mihi inquit, nunc ipſum iſta opera opus eſt. iam illi dant ſe in viam: fugit occaſio, ſi Fuggeros dimitto indonatos: age nunc confice, ſi me amas. quid multa? Interrupi mea negotia, & me illi ducendum do. ſeducit in aromatariam tabernam, quæ forte in propinquo erat. eò Muſas inuito: ac venerunt non inuitæ inter mel & ſaccharum *Deæ* pręſides ſuauium cantionum. dictaui hexaſtychum longe optimum & pretioſiſſimum. quid vero inquies, tua laudas impotenter, inuerecunde? Verum dico: ſex verſiculi pluris fuerunt, quam trecenti alij meorum, & non meorum: vendidit illos Reatinus duodecim philippæis hoc eſt ſingulos binis aureis. Taceo quas identidem notis ignotiſque rogor pangere orationes, pręfationes, gratiarum actiones, & omnis generis epiſtolas, ſed illas potiſſimum, quibus libri, theſes, problemata dicantur: omitto inſcriptiones, epitaphia, emblemata, odas, elegias, & epigrāmata lugubria, ſeria, iocoſa, quorum ingentem numerum feci hactenus, & facio adhuc ſæpicule in gratiam amicorum. quæ ſingu-

la

la (vt cœperam dicere) numquam mihi nimium temporis, aut ſtudij eripuerunt, cogitanti hæc duo crebrius inter dictandum, ideſt primum haud magnopere referre, ſi optima non ſint, quæ ſub alieno nomine, non ſub meo eſſent diuulganda : deinde quamquam mediocria ſint, tamen optima viſum iri, attributa iunioribus, aut non nimium illuſtribus, aut alia profitentibus. contra ſi quid habeam ſcribere mihi tribuendum, & meo periculo in aſpectum lucemq; proferendum; facit ea cogitatio & cura, vt mihi ad præclarum aliquid emoliendum nulla quies, nullũ ingenium, nulla mentis intentio ſufficere videatur. Nec negauerim tamen accidere non nunquam & ſæpius in poeticis, vt meliora exeant, quæ ſtatim concepta funduntur, non excoluntur, non comuntur. credo, quoniam timor refrigerat & coarctat, ſecuritas vero relaxat, & liberum dimittit ingenium. tamen quod antea dixi, veriſsimum eſt: quamcumque rem latinis litteris explicare habeam, ſi modo mihi habeam, non alijs, obmuteſco, & verbum vnum exprimere non queo, niſi quies & otium detur.

Quod adhuc magis mirandum ſcio tibi atq; alijs futurum eſſe; cum latinas orationes, diſquiſitiones, poemata, & reliqua omnia ſemper ſcriberem meditatus, ſolas epiſtolas, pauci anni ſunt, cum dabam ſępius ex improuiſo ad homines vehementer amicos, aut diſcipulos, aut cognatos; nunc ne ad illos qui-

dem

dem ſatis poſſum, & minus quam cetera; illas. cauſam puto eſſe, quod in primis Epiſtolæ aliquam gratiam meruere hominum eruditorum, & fortaſſe metuit mihi animus, ne amittam male ſcribendo eam exiſtimationem, quam mihi bonus aliquis Genius,& legentium beneuolens fauor conciliauit.

Poſtremo accedat ratio neutiquam ſpernenda, imo interdum ſuperior & grauior antedictis. quod ſcriptio latina mihi quidem (credo item alijs) non raro impedit atque intercludit reſponſum. multi hodie ad latinas epiſtolas nihil reſcribũt, & illi maxime, qui ſcribunt & loquuntur elegantiſsime. ſicut ego arbitror, non ſuſtinent remittere per Etruriam, quæ ad ſe per Latium venerunt,ne non noſſe atq; tenere hanc etiam viam videantur. ex altera parte per latinos anfractus, & per calles minus frequentatos facere iter non audent,ſiue quia ſuſpicantur, ne quo forſitan impingant propter deſuetudinem, ſiue (quod magis reor) vt hunc fugiant laborem, quem ego etiam grauius fero, ambulandi per vias duriores. Itaque ſatius fore opinantur deſerere officiũ,& de amici negotio nihil penſi habere, quam ea gratia quicquam animo affici, vel in aliquod exiſtimationis diſcrimen venire. Quam quidem ob rem ego veni proximo biennio in hanc conſuetudinem, a qua temere non recedam. primis litteris, modo agreſtes non ſint, & ab homine non agreſti, qua lingua ſcriptæ fuerint.

rint eamet ſoleo reſpondere . ſecundis vero & tertijs, & ſequentibus, ſi alię ſequuntur, aut nihil remitto, ſi tantum inania officia continent, aut remitto etruſcas, ſi negotia. Nec me huius conſilij poenitere poteſt, cuius tam dulces, atque tam vberes fructus ad ſtudia mea redeunt.

Feceram hic finem dictandi, & affectum ſatietate ac faſtidio animum referebam libẽs ad ſtudia paulũ intermiſſa doctrinæ ſolidioris: cum me anagnoſtes monet, latere in angulo litterarum tuarum appendiculam, ad quam tibi etiam atque etiam reſcribi poſtulas. Dicis igitur, expectari cupide a doctis Secundum mearum Epiſtolarum Volumen, & te interim velle doceri quid, quando, ad quem. Accipe de primo, quod nunc molimur: nam de reliquis nihil dum habeo conſtitutum. Franciſcus meus recenſens numerum Epiſtolarum, quæcumq; in Aduerſariis repertæ sũt, ab anno Iubilei CIↃ IↃ LXXV. tria illarum iuſta Volumina componit digeritq; per temporum ordinem diligenter; ita vt perpetua quædam hiſtoria conſeruetur, non modo priuatarum rerum mearum: quod ego non facio tanti: ſed magnam partem ad nobiles amicos, ad ciuitatem, remq; publicam ſpectantium. Ex his tamen ſupprimere aliquas neceſſe habemus variis de cauſis: quarum non hic locus referendi. Primum Volumen complectitur Epiſtolas annorum circiter duodeuiginti, nempe ad diſceſſum a me

Marij

Marij fratris, quã ego ſecundã; cæcitatẽ ſoleo appellare. principiũ dabit illa ex iã vulgatis, quã Seminarij nomine tunc ſcripſi ad Fuluiũ Corneũ Cardinalem. ſequentur inter alias ha ctenus ſuppreſſas, multæ ad Bencium, multæ a Bẽcio, aliiſq; doctiſsimis viris, quarũ autographa penes nos ſunt, & non ſolum diligenter, ſed etiã ambitioſe cuſtodiũtur. Secundum Volumẽ ab ãno tertio & nonageſimo vſq; ad ſexcenteſimum tertium, totis decem annis, rerũ ordinem in illa tempora incidentium copioſius recenſet: ſpero etiam iucundius, quia maturius: nam in primo erunt aliqua iuuenilia, quædam affectata & infracta per nimium ſtudium Tullianæ dictionis imitandæ. quæ quidem ſollicitudo pingendi atque ornandi ſermonis, tunc me liberum dimiſit, cum cęcitas ſuum fecit. Haud ego tamen inficias ierim, quod in pręſentia vſu venit. legunt frequenter apud nos iuuenilia iſta viri eruditi & meliorũ artiũ magiſtri, nec verẽtur hanc laudare luxuriam orationis, & ſuper formam virilem ponere pectinem aut calamiſtrum. certe deierant, hoc genus, quod Ciceronem exprimere conatur, eſſe non paulo accommodatius atq; vtilius iuuentuti. quorum me hominum auctoritas impulit, vt ea cum ceteris diuulgari non vehementer abnuerim. Denique tertium Volumen a Lipſianis epiſtolis capiens initium, in hæc tempora excurrit: & poſt nuper emiſſam Centuriã, hoc nobis epiſtolicum quaſi agmen claudet,

Digitized by Google

noſq; hoc onere in poſterum leuatos , patietur recurrere ad Muſas ſeueriores , & cum illis , quod reliquum vitæ ſupereſt ſecuro & vacuo animo tranſigere . Vincentij Contareni nouos libros Variarum Lectionum , quos es pollicitus , auide expecto : vt Lipſium, ſiue iuſte accuſatur, humaniter excuſem ; ſiue nō iuſte , iuſtius defendam . Vah dices arrogantiam vix ferendam ! non te igitur a certamine deterret eruditio, gloria, omen vincentis? minime me pro tali amico : cuius ſi ſpecto eruditionem , omnes vincit, ſi famam, omnia implet , ſi omen Iuſtus eſt . Vale.

Dominicum Coleſantum ſaluere a me volo . Tu pro vnica ſalutatione accipe quaterternas, a Vecchio , a Donzellio , a Gilio , a Venantio : & me ama ſicut ſoles . Peruſiæ . Idibus Martijs CIↃ IↃ C VII.

Digitized by Google

M. ANTONIVS BONCIARIVS

Aeneæ Spenactio. *Senas.*

DIES ſunt circiter viginti, cum litteras a te accepi latinas, vberes, elegantes. quibus illico reſcripſi, ſed italice breuiter, inconcinne. feſtinatio id fecit reuertentis, & ſecum referre aliquid volentis. Ad hodiernam vero epiſtolam pariter cultam, pariter inculte reſpondeo. facit hoc inualetudo, & præter ſolitas occupationes, non inſolitus dolor articulorum. Sed vtramque indiligentiam meam ſic excuſat, vt prope in laudem conuertat Amica Denunciatio, quam proxime ſcripſi & vulgaui: mox has litteras ſecuturam, venturamq; ſtatim ad te, ad Ricciardum, ad Lombardellium. Male metuo libellis meis, qui apud te diuerſantur, ſiquidem illos, vt ſcribis, lectitas cum diſertiſſimis oratorum, ſiue veterum, ſiue recentiũ. Video enim, quid iſta officere nobis poſſit, non dicam equidem comparatio (quæ non datur ab optimis ad peſſimum) ſed tamen iſta legendi tanta propinquitas, iſta plumbi & argenti continuata tractatio. quaſi dixeris, ab eadem arbore Cuculus & Luſcinia, vel eadem in menſa mel, fel. Vtinam imitari liceret mihi pictorem veterem, inuenu-

Digitized by Google

ſtum illum quidem, ſed minime arrogantem & ſui conſcium. qui cum pictos ab ſe gallos gallinaceos, in foro vænales exhibuiſſet; paratos habuit pueros, qui veros gallos quam longiſſime abigerent arcerentq; a tabula. Nam ego quoque ſuſſurarer iſtas tibi Plinianas gemmas, & Manutianas delicias, & Lipſianas argutias, & ſuper omnia Tullianas diuitias; dum nugas, atque quiſquilias legis meas. Vale. Hæc de lectulo dictaui, cum ſolemnes articulorum morſus irritaſſet acerbus nuncius, de interitu amiciſſimi hominis crudo, inopinato. Peruſia.

M. ANT. BONCIARIVS PAVLO AMBROSINO S.

Romam.

NON dum ſatis conſtituere poſſum, mi Ambroſine, vtrum mihi callidior, an mei amantior videare. propendeo tamen facile in hanc partem, vt primas beneuolentię tribuam, aſtutiæ ſecundas. video enim hanc quaſi filiam ex illa ortam parente. Mucius Manfredus plenas officij litteras ad me dedit, quibus tuo nomine, vel potius tuo iuſſu agit gratias, quod fecerim de te honeſtam mentionem in eo libello, qui nunc prodit ad lucem: id tibi ex proximo congreſſu noſtro eſſe compertum, qui ad Aſiſium fuit in ſacra Aede Virginis Angelorum. Aſt ego mi Domine, non hoc volui dictum, neque potui.

iam

Digitized by Google

iam libello finis fuerat impoſitus, cum te offendi apud Aſiſium, & diutule vna fuimus. primum dumtaxat folium reſtabat, quod ſcis cudi extremum: nihil amplius. quid ergo eſt? vter noſtrum culpandus? ego forſitan minus dicens, an tu plus audiens? Puto vterque, ſed pauxillum. mihi neutrum refellere in animo eſt: rem dicam, quo modo ſe nunc habet. Ego tertium deſcribo adornoq; Volumen Epiſtolarum in Germania cudendum (ſi Cœlites faueant) hoc biennio, aut ſummum triennio. in hoc ſcriptas ad te litteras incluſi. habebis mihi crede, in illa quaſi acie litteraria locum maxime honeſtum ad ciendam pugnam. patere modo hanc Centuriam quæ ſpeculandi cauſa emittitur, facere iter ſine te.

Bene habet, inquies: video amoris ac ſtudij mei ſigna cupientis in tua ſcripta peruenire; ſed vbi tandem calliditas? eccam ſcilicet, nec eam ſimplicem. feſelliſti, aut ſaltem conatus es fallere commento vno amicos duos; cum ſeni amabiliſſimo perſuaſiſti, vt mihi tuis verbis gratias ageret de beneficio, quod non tu acceperas, ſed accipere volebas. genus eſt rogandi efficax, & callidi artificij plenum: antequam æs alienum contraxeris, debitum profiteri; & non dum munere perſoluto, vix oſtenſo; feſtinare actiones gratiarum: hic quaſi ſtimulus fodiens latera impellit dubitantes, & adhuc faciant, an non faciant herentes: hæc veluti flamma glaciem

 conſumit,

conſumit, cor excalfacit tenacium munera-torum: hæc denique falx præcidit cunctationes, cum pudeat ingenuos datores trahere in longum beneficia quorum vſurā amicus animo præſumpſerit, ſpe deuorauerit. quis porro negare audeat liberali amico rem maxime honeſtam, pro qua & pretium acceperit? quis non potius ſe vltro accuſet tarditatis, & ex animo doleat prȩuentum? quis ad ſe abſoluendum aut purgandum, non amet videri antea ſtatuiſſe pro quo laudatur? Ego certe in talibus angor animo, & vix ſuſtineo pudorem, ſi amicus expectatione fraudatur; ſi effectum ſui conſilij obtinere non poteſt, pro quo gratias & laudes, hoc eſt aliquid grauius, quam pecuniam mihi perſoluit.

Quid nunc ais, dulciſſime Ambroſine? Vides, callidum conſilium ab æque callido eſſe deprehenſum? Quid? mecum iſta, cuius domi naſcuntur? eſſet vero cur magni facerem eas diſciplinas, in quibus conſumpſi annos meliores, ſi quam doceo artem fallendi aures alienas, ab hac meis non cauerem. ſed oblitus non ſum, quod initio ſcripſi, dolum ab amore eſſe profectum, & ideo amori non ſolum facile condonandum, ſed etiam ſummæ laudi eſſe tribuendum. Quamobrem adeo tibi non ſum iratus, quod me hac via fueris aggreſſus, ignota vulgo, aperta doctis, liberalibus, amantibus, tui ſimilibus; vt etiam me confitear ob eam rem non vulgari beneficio eſſe deuinctum, & tibi agam grātias de

actis

Digitized by Google

actis gratijs: ſed ampliores, ſed veriores; cum ego agam pro accepto, tu egeris pro ſperato. Vale.

M. Ant. Bonciarius D. SEBASTIANO RANCANELLO Inſenſatæ Academiæ A ſecretis.

ERAT ſepoſitus tibi locus, qui etiam nūc eſt in tertio Epiſtolarum Volumine, quod adornamus: & ſpero ante alteram æſtatem proferetur, niſi antea nos efferemur. Tu Rancanelle annum ſextum & octogeſimū impleſti: ego licet dimidio fere minor, tamen propter inualetudinem, videor mihi ad metam propius accedere, quam tu veneris. o quale ſtadium ambulamus, in quo faciunt maiora ſpatia, qui lentius currunt! Itaque ratio mihi ſuadet, amor imperat, ne hanc omittam, quæ nunc datur, occaſionem teſtandæ ad poſteros neceſſitudinis noſtræ. cuius ſi repeto annos, æquant propemodum meos: ſi vero coniūctionem ſpecto, idem es mihi & in ſtudijs ſocius, & in Academia frater, & in maiore negotio PATER: animę inquam, non corporis Pater. Hoc eſt ſupra eum, cui debeo & vitam. Dices fortaſſe, cur tu hominem, tot tantiſq;nominibus tibi deuinctum, non adoptas cum reliquis in Cen-

LECTORI S.

ERAT in promptu Piorũ Carminum trimenſtris fœtura. ſed eam edere nunc quidem feſtinatio non permittit. Expecta ſemenſtrem, Lector, ideſt parem ſorti vſuram : ſi nos tamen Parca expectabit; nec aliud interim ſoluere cogemur æs alienum noſtrum. Credo haud grauaberis longulam moram, quæ ſic fœnerabit. Eam tamen quo facilius feras, & ſecurius tranſigas; hanc tibi exhibemus quaſi arrham; ſed paulo, quam ſolet, vberiorem. nempe, vt eadem opera, & in presens tibi commodetur, & in poſterum caueatur. Bene vale.

Ad

Digitized by Google

Ad NEAPOLIONEM COMITOLVM PERVSIÆ ANTISTITEM.

De P. Paulo Ceſenate Capuccino Concionante.

Vidimus, Antiſtes, quos pulpita noſtra tulerũt
Præconum duplex eſſe ſolere genus.
Nãq; alij veneres, atq; Attica mella propinãt,
Et miſcent lepidis verba rotunda iocis.
Contra alij trepidis implẽt clamoribus aures,
Verborumque adigũt pectora ad ima faces.
Qui vero laudem coniũgeret vnus vtramque,
Et rigidas molli ſpargeret ore minas:
Cui lacrymas oculi, ſuſpiria pectus ab alto
Miſta voluptati cum pietate darent:
Hũc ego nec ſcirẽ quemquã, nec poſſe putarem;
Tu niſi Paule fores. Sic puto Paulus erat.

De eodem Capuccino Cõcionatore. In die feſto S. Luciç.

Cum tibi ſacra dies, Idus fulſere Decembres,
Lucia; lux vulgo culta, profeſta tamen:
Vt populum blanda demulceat arte Ceſenas,
Neu templo pigeat poſt-habuiſſe forum:
De

De theſauro, inquit, mihi cõcio ſacra loquetur.
Quiſquis amas fieri diues; adeſto frequens.
Aſſuimus: clamare omnes, O quale rependis
Paule lucrum! nunquã tale taberna dedit.
Sed tua tunc etiam theſauros ora loquuntur,
Cum tua theſauros concio non loquitur.

Ad Stemma Comitis Ludouici Saregi Gubernatoris.

Cur heu fulmineos ſtringis, Sarege, tot enſes?
Fors inimicitias Prætor, & arma times?
Nõ timeo nec ſtringo, inquit. Te fortibus armis
Vel tego, ſi bonus es; vel peto, ſi malus es.

Ad Quinctium de Bubalo Præfectum Arcis.

Quid tibi cum Muſis Quincti? non molle Lycęũ
Te vocat. Arx armis credita noſtra tuis.
Tu vero Studium ſic es complexus vtrumq;,
Vt dubitẽ, quod ames amplius, Arma, Togã.
Sic fontẽ galea Dircen potabat Achilles,
Verſabatq; pari ſpicula, plectra manu.
Sic Macedũ Rex ille cubans, narratur Home-
Et gladiũ capiti ſuppoſuiſſe ſuo. (rũ,
Scilicet implicitum Veneri Victoria Martem
Non ſequitur: ſequitur, cũ pia Pallas adeſt.

Ad Vrbem Romam de Polybio in latinum conuerſo ab Iſaaco Caſaubono V. C.

Gallia plus fortes exercuit vna Quirites,
Dum fugit impendens ferre ſuperba iugum;
Quam reliquus vinci facilis, doctuſq; ſecures
Exhorrere Orbis, Martia Roma, tuas.
Aſt eadem multa factum mercede rependens,
Ecce tuis lucem reddidit Hiſtoricis.
Reddidit & reddet. Polybo ſuccedere Criſpũ,
Et Criſpo iratum poſt video ire Titum.
Par meritum, par culpa. tuis ſi reſtitit armis
Gallia, nunc famæ conſulit illa tuæ.
Quid loquor inſipiens, et culpã nomino? duplex
Eſt meritũ, duplex cui tribuendus honos.
Illuſtrem gladio fecit te Gallia: Gallus
Aeternam calamo te facit Iſaacus.

P. ISIDORO PICTORIO Congregationis S. Pauli Decollati S.

FECI carmina, quæ ſum iuſſus: & peiora opinor, quia iuſſus. ſuperba eſt Muſa: canere ad præſcriptum alterius, aut non ſolet, aut perperam ſolet: illud mihi frequenter accidit, hoc frequentius: certe hodie. Itaq; non ſolum tuã, ſed etiam Reuerendiſs. Antiſtitis, & Domini mei requiro cenſuram liberam

liberam, eruditam. Hæc raptim dedi à lectulo. cui me affixum tres ipſos dies, magni articulorum dolores tenuerunt, tenentque. Quo eſt æquius, mi Pater, vt ignoſcas nouello fœtui, ad quem mox conceptum, editum, dimiſſum redundat infirmitas parientis. Vale. In Collegio S.Bernardi, ſecunda Sabbathi ſanctioris CIↃ IↃ Ç VI.

De Iugo Chriſti ad pigrum cultorē.

Ante fuit, cum grāde humero ſuſtollere pōdus,
Et legum priſco ſubdere colla iugo,
Vix poterat, vix audebat terrena propago:
Deijcere immenſus mollia membra rigor.
Aſt vbi Cultor adeſt, ſuperis delapſus ab hortis,
Et ſegnē facili vomere tentat humū;
Se ſtatuit dextrum, te collocat ipſe ſiniſtrum,
Et leue coniunctis viribus vrget opus.
Quid talem renuis Socium? pars magna laborū
Ipſius eſt: merces tota futura tua eſt.

In Sacroſanctam Euchariſtiam.

Non potis es fœdā Veneris compeſcere flāmā:
Qua non expectas, callida ſæpe ſubit.
Et late poſtquam molles irrepſit ad artus,
Infirmum ſtygio carpitur igne iecur.
Quid facias? Dominus fert prompta remedia:
Vt validū reddas, corpora iūge Dei. (corpus
Non mētitur enim Patris Sapientia: SIQVIS
Innocuo carnem ſumpſerit ore meam:

Hunc

Hunc ego poſſideo, me poſsidet ille: ſub vnum
Ambo cor, & ſedes excipit vna duos.

De Domino Cruci affixo.

Cuſpis acuta manus fodiens heu fixerat ābas,
Fixerat heu ambos cuſpis acuta pedes.
Serta coronabant ſpinis horrentia dignum,
Sidereo dignum cingier orbe caput.
Irriguus lacero manabat corpore ſanguis,
Abſtulerantq́, locum vulnera vulneribus.
Vna ſub ingenti membrorum clade dolentum,
Vna immunis adhuc lingua doloris erat.
Idque dolens ipſum, quod ſola dolore careret,
CVR HEV ME Genitor *ſumme relinquis?*
Nec mora: fel mixto labris infertur aceto, (ait
Atq; imploratus guttura mordet acor.
Quid reliquum? Nihil eſt reliquū: lingua ipſa fatetur:
CONSVMMATA, inquit, ſunt tua iuſsa, Pater.

In Chriſti Corpus lancea perfoſsū.

Corpore ab exangui cur profluit vnda? Te-(pentis
Non credo vlla ſuper gutta cruoris erat.

Chriſtus ad hominem redemptum.

Si tibi, te propter, do me: te propter eundem,
Obſecro, quid non das te quoque tute mihi?

Digitized by Google

Ad Deiparam Virginem.

Omnes ingenij tendens ad carmina neruos.
Optaui laudes dicere Virgo, tuas.
Ac licet innumeris radiēt tua pectora gēmis,
Vna licet teneas quicquid vbiq; boni eſt:
Nulla tamen pigram ſoluit ſententia linguam,
Nullaq; ſunt calamum verba ſecuta meum.
Vnde iſtuc Regina mihi? num copia mentem
Turbat, an ipſa meo reſpuis ore cani?
Non puto. Nam res ingeniū plus excitat illa.
Hæc eſt a Genio res aliena tuo.
Cur igitur? credo vt Numē cor adoret, & eſſe
Agnoſcat meritis verba minora tuis.

De S. Ioanne Apoſtolo Euangeliſta.

Ecquid Ioannes Domini ſe ſemper Amicum
Nominat & nomen ſupprimit ipſe ſuum?
Ipſe ſuum tanto Dominū cōplexus amore eſt,
Mutuus in tantum creuerat huius amor:
Vt ſe ſe oblitus, nomen quoq; perderet: vnum
Hoc ſciret, carum ſe Domino eſſe ſuo.
Non ſecus amittit rapidus ſua nomina Gāges,
Poſtquam ſe immenſo miſcuit Oceano.

In Mariam Magdalenam.

Accedens Domini ſacras contingere plantas
Magdala, cur tantis imbribus ora rigat?
Credo

Digitized by Google

Credo cor ab ſacro concepit lumine flammam,
Totaſque ex alto pectore truſit aquas.
Sic arſura ilex, virides prius expuit vndas,
Quam ſua Vulcanus viſcera carpat edax.

In Chriſti Sacroſanctam Natiuitatem.

Quod ſanctus primis patuit Paſtoribus Infans,
Mirari quemquam non decet: Agnus erat.

In Chriſti ſanctam Circunciſionem.

Venerat, Adamidis cenam facturus in aluum
Virginis, ætheria lapſus ab arce Deus.
Et quia dura fames teneros laſſauerat artus,
Viſaq; ſunt cenæ tempora longa nimis:
En tibi prima ſacer ponit ientacula ſanguis.
Hoc fruere, ingentes dum ſtruit ille dapes.

IVLIO
DE LVDOVICIS
D. Cæſari Corneo a Secretis.

MITTO ad te, ſic petentem, ſic inſtantem, Iuli ornatiſsime, quos iam dudum Corneo Illuſtriſsimo, & communi Domino promiſeram Luſus meos in Fr. Paulum Seruitam. Omnino rudiores atque ineptiores ſunt, quam quos hominum elegantium doctæ aures ferre patienter queant. Sed vt dicebam, luſus ſunt: hoc eſt ſerium cultum, & curioſum ornatum haud magnopere deſiderant. Fac tamen deſiderare, fac exigere inſtanter. certe ille genus dicendi pretioſius non meretur, cui per hæc illuditur. Haberet homo impius infamiæ ſuæ magnum leuamen, ſi ſaltem poſſet ludibrio doctiore gloriari. Vale.

In

Digitized by Google

In Fr. Paulum Pſeudoth eologum A Venetijs.

Ante dedit Tharſus Paulum: nunc Adria Paulum
Dat. ſimileſq;facit non ratio vna duos.
Ille fuit primum Saulus, qui poſtea Paulus:
Hic eſt nunc Saulus, qui modo Paulus erat.
Mutandi non idem auctor. quia cælitus illud
Venerat; hoc ſtygia nomen ab arce redit.
Ille gregẽ rapere ãte lupus, mox paſcere paſtor:
Pauerat hic paſtor, nunc rapit ecce lupus.
Lingua ille, & calamo, nos ſidera ad alta vocabat:
Lingua hic, et calamo, tartara ad ima vocat.
Ille olim viuens eſt raptus in æthera: viuens
In Chaos extremum tu quoq; Saule rues.
Sed diſcrimen erit. quoniã cũ corpore, an extra
Tunc foret, ille quidem neſciit: ipſe ſcies.

In eundem.

Iſte quis eſt Paulus, Petro infenſiſsimus? iſte
Auſus in excelſum ſtringere tela Iouem?
Hic eſt, ſi neſcis, miles Plutonius: hic eſt
(Vt proprio dicam nomine) Saulus Apoſt.
Saulus A-poſt, inquã: nõ Paulus, vt ante. refictũ
Eſt nomen culpa poſteriore prius.
Qui ſi cognomen miraberis imperfectum,
Et tibi compleri tergoris ima voles:
Suffice tu caudã. tria plenũ grãmata mõſtrum
Repræſentabunt: ponè ſequatur Ata.

In

In eundem.

(lixq;
Saulus Apoſt, et Paulus Apoſt; Venetuſq; Ci-
Cum fuerint;demũ eſt hic Polus,ille Tata.

Ad eundem.

Adria te magnum tua dicit patria Paulum.
Aſt ego nec Paulùm dico.quid ergo? Nihil.

M. ANTONIVS BONCIARIVS

P. Valerio Setæ S. D.

TVAM lego Apologiam, Seta vir doctiſſime, non ſolum eruditam, & elegantem, ſed etiam in primis modeſtam: ideſt non iurgijs minisq; terrentem, ſed validis argumentis, quaſi iaculis fodientem aduerſarios. Quale genus refellendi, antiquis Patribus vſitatũ, noſtro ſeculo rarius, ita me affecit; vt, tua tuorumq; Sodalium ſuſcepta perſona, hæc ſubito profuderim, quæ infra deſcribam. Ea quamquam non ſic ueſtram elegantiam, vt veſtram modeſtiam æmulantur; ſperaui tamen, grata vobis futura, quia, quod rudia ſunt, ab ingenio meo habent; quod vero acerba non ſunt, a veſtro exemplo. Vale.

Ad

Digitized by Google

Ad F. Paulum a Venetijs nomine Sodalitatis Seruitarum, Parænesis.

QVI ſcelere infando Regem lęſere potentē,
Formidātq; truci tela vibrāda manu;
Aut Satrapas ambire ſolēt, aut Regis amicos,
Oppoſito vt clypeo, gratia prę ſtet opem.
Tu miſer ad crimen, quo non eſt fœdius vllum,
Dic age, patronos quos tibi Paule paras?
Fors Domini Matrē? cui te mentitus alumnū,
Heu quibus illexti pectora noſtra dolis!
Fors Hierarchā, alto qui ſeruat in æthere li-
Scilicet: in quē tu probra nefāda iacis. (mē?
Forte ſacrū Tubicēm, quo te cognomine iactas?
Id quoque conſceleras nomen, & officium.
Nō tu igitur Procerū quēquā confide ſecundū:
Quā tibi Rex mulctā deſtinat, Aula probat.
Alma ſuum dici prohibet te Virgo clientem,
Et procul a tectis cogit abeſſe ſuis.
Clauiger ætherius duro increpat ore procacē,
Et vetat illuſi tangere clauſtra Poli.
Quid Paulus? *Nudo te territat enſe, iubetque*
Nomen habere tuum, depoſuiße ſuum.
Quo ruis infelix? quæ mentem inſania vertit?
Qua rapit in præceps pectora cæca furor?
Defendet me Marcus, ais: contraque Leonem,
Non metuenda mihi, ſibilat arma Draco.
Ah ſtolide, ah vecors! Marcū tibi credis ami
Si Petro infenſus, ſi Domino hoſtis eris? (cū,
Falleris: & longum ſpatijs excluſus, ab alto
Deuius infidum ſubtrahis Axe pedem.
Aſpice, qua Marcus veſtigia pulcra Capellus

Imprimit: ad Petrũ dux tibi Marcus erit.
Ingredere, ac certos ad ſidera dirige greſſus:
Ingredere; ac forti pectore Numen adi.
Numen adi, flexoque genu pius ante Tonantẽ,
Ante Patrẽ, qui nunc iura Tonantis habet;
Poſce tuo ſceleri veniam: fœda vnguibus ora
Triſtis, & vltrici pectora ſcinde manu.
Quid dubitas? ne fors renuat te Diua rebellẽ,
Et longe a caſtris imperet ire ſuis?
Non faciet. quãquã fuerit fuga turpis; eodem,
Si ſanus redeas, excipiere ſinu.
Nam reſipiſcentum Dea vult Patrona vocari,
Et magis hoc nullum nomine nomen amat.
Teſtantur manſura æuo Miranda perenni,
Miranda æternis ſcripta voluminibus.
Teſtantur memores circum delubra tabellæ,
Quas pius appendit naufragus, æger, inops.
Hoc tacitus paries, hoc marmora muta loquũ-
Quis animã docto reddidit ũgue faber. (tur,
Vota pij faciunt ad Numina læſa Sodales,
Placatumq; adigunt ponere tela Iouem.
At me Barionades, at me Tarſenſis inultum
Non ſinet: hic gladio, clauibus ille minax.
Tędeat ex animo ſcelerum te Paule priorum.
Cordaque ſincerus mordeat ima dolor:
Tũ ſupplex audacter adi. Miſereſcet vterque,
Optatamque ferent alter & alter opem.
Cur etenim non efficiant? ille ore Magiſtrum
Ter ferit; & fuſis vulnera ſanat aquis.
Hic Regem gladio inuadens, Regiſq; cohortem,
(Vt pecudes rabido cum trahit ore Lupus)
Obiurgante Deo, culpam confeſſus; eidem
Poſtea Dux meruit, cui prius hoſtis erat.

Digitized by Google

SONETTO

Del Signor ANTONIO BENI DA S. SEVERINO.

A l'Autore.

CIECO voi? più toſt' Argo: & hò ben ſegni
Ch'all' immortalità cent' occhi aprite,
Ne più lucide ſon le ſtelle vnite,
Mentre fregiando van gli etherei regni.
Con bel cambio d'honor, gl'honor più degni
Lampeggiano con voi, luci gradite;
E per vie manifeſte, e per romite
Vi fan paleſe à più ſublimi ingegni.
Ne Pattòlo gia mai ſparſe dall'Onde
Tanti ricami d'or con ricche arene,
Per abbellir le ſue famoſe ſponde:
Quante di voſtra bocca eſcon catene,
Per gl'altrui cor, con voci alme, e gioconde
Schernitrice di Cigni, e di Sirene.

OPVS-

Digitized by Google

OPVSCVLORVM Index.

Super exceſſu propinquorum fortiter ferẽdo. Diſquiſitio prima .pag. 9.
De comparatione Ciceronis & Plinij. Diſquiſitio ſecunda. pag. 20.
Apologia pro vulgatis Epiſtolis ad rem Grãmaticam ſpectantibus. Diſquiſitio tertia pag. 30.
Expenditur primus Virgilij verſus Libro 6. Aeneid. & docetur Quid ſit immittere claſſibus habenas. Analectum primum. pag. 48.
Quid ſit apud Horatium Ficus duplex, indicatur: & magno viro ſua ſententia reſtituitur. Analect. 2. pag. 54.
Excellens vir qua ratione homines vere doctos ſecerneret a non doctis. Analect. 3. pag. 57.
Nobilis viri caſta generoſitas. Exemplum primum. pag. 62.
Blaſphemi Aucupis horrendum ſupplicium Exempl. 2. pag. 67.
Lepidum Iuuenis commentum tuendæ Caſtitatis. Exemplum tertium pag. 74.
Officioſa Denũciatio circa infrequentiã ſcribendi Epiſtolas latinas. Opuſ. decimum. pag. 83.
Variorum Carminum libellus.

Digitized by Google

MADRIGALE

Del Signor FILIPPO ALBERTI

A l'Autore.

SE per due frali e ſoli,
C'ha tolti il Ciel a te, tu mille a lui
Eterni lumi inuoli:
Se le tenebre tue fanno Alba altrui,
E ſe talpa di fuori, entro Argo ſei;
Di che del Ciel ti dei
Tanto doler? che puoi
Coſa mirar quà giù che non t'annoi?
Ben'è cieco deſire,
Sol bramar gli occhi a le miſerie aprire.

Regiſtrum.
ABCDE.
Omnia ſunt integra folia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA
Digitized by Google

Digitized by Google